LVDOVICI DE LA PALMA

E SOCIETATE IESV

EXAMEN CONSCIENTIÆ

Bibl. Pr. Gen. S. I.
N. 1 n. 5
ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deexamineconscie0000spni

Asset
V
1165

DE EXAMINE CONSCIENTIAE

TRACTATVS

DE EXAMINE CONSCIENTIAE

SECVNDVM DOCTRINAM

S. P. N. IGNATII

IN LIBRO EXERCITIORVM

PER

LVDOVICVM DE LA PALMA

TOLETANVM

SOCIETATIS IESV

HISPANICE SCRIPTVS ET LATINE REDDITVS

PER SACERDOTEM EIVSDEM SOCIETATIS

ALMA COLLEGE
060.304
LIBRARY
P181
Alma California

BIBLIOTH. PRIVATA
P. PRAEPOS. CENS. S. J.
ALMA COLLEGE
LIBRARY
California

SVPERIORVM PERMISSV

BARCINONE

EXCVDEBAT FRANCISCVS ROSALIVS

ANNO MDCCCLXXXVII

Apet - V 6567/65

AD LECTOREM

Pater Ludovicus de Palma, natione Hispanus, patria Toletanus, praeclari ingenii et praestantissimae prudentiae vir, libelli Exercitiorum commentator egregius, libros varios luci publicae dedit lingua vernacula, atque horum aliquos ad declarationem clariorem Exercitiorum S. P. N. Ignatii. Nimirum *Praxim brevem Exercitiorum*, quae latinos etiam typos subiit, et librum in quarto sub hoc titulo: *Via spiritualis eo modo quo illam docet B. P. Ignatius in libro Exercitiorum. Pars prima. Compluti* 1626. Qui liber hactenus non nisi hispanice prodiit [1], promittitque Auctor ibidem eiusdem Viae partem secundam et tertiam. Sed valetudine infirma affectus, et occu-

1 Nuper in lucem prodiit translatus in linguam latinam a P. Iacobo Nonell, eique hic etiam tractatus de Examine conscientiae adiunctus est.

pationibus gravissimis distractus, (utpote collegiorum plurium Rector, bisque provinciae Toletanae administrator), promissum solvere nequiit. Conscripsit tamen partis illius secundae tractatus aliquot. Horum unum, de Examine conscientiae generali quotidiano, transtuli in latinum [1], quem utiliorem censebam, magisque ad praxim assiduam facientem. Fruere, lector, et secundum spiritum S. P. nostri exercitium Examinis huius institue.

1 Alterum de Examine conscientiae particulari latine reddidit alius e Societate Iesu Sacerdos. Vtrumque, quasi unicum tractatum, binos tamen in libros dispertitum, hic tibi libellus exhibet.

LIBER PRIMVS

DE EXAMINE CONSCIENTIAE GENERALI [1]

CAPVT I

QVID SENSERINT SANCTI PATRES DE EXERCITIO HVIVS EXAMINIS

Quoniam per exomologesin peccata vetera delere non sufficit, verum etiam vitae praesentis vitia emendare oportet, Examen sui quotidianum identidem adhibendum est. Hoc Examen dicitur Generale, propterea quod ad omnes hominis actiones sese extendat, quantumvis ad unius diei spatium arctetur. Quid rei sit, quanta sit eius necessitas, quantaque utilitas, per similitudines varias a Sanctis Patribus inculcatum est. Harum aliquas ipsissimis illorum verbis iuvat producere.

S. Ioannes Chrysostomus in illud Davidis: «Irascimini et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini,» observat a sancto Propheta hic assignari partes boni examinis, nimirum, inquisitionem, compunctionem et propositum. «Vidisti, inquit [2], optimam medendi rationem, quomodo et prae-

1 Ex editione secunda, Coloniae facta, anno MDCCI.
2 In Psal. IV.

servantibus et corrigentibus medicamentis usus est. Praecipere enim ne in peccata incidas, praeservantis medicamenti locum obtinet, nempe, «irascimini et nolite peccare,» illud autem «quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini,» corrigentis. Postquam enim peccavit, adhibet rursus medicamenta, ab ipso qui peccavit inducta medicina. Hac ergo utamur medicina, quae nihil habet omnino difficultatis. Sin autem non sustinet anima meminisse peccatorum, erubescens et pudore suffusa, dic illi: Nihil lucri facis, si non memineris, sed magnum potius damnum accipis. Si enim nunc apud te non memineris, tunc ante omnium oculos tua statuentur peccata. Sin autem nunc ea supputaveris, et ab illis cito liberaberis, et in alia non facile incides.»

Bernardus [1] in illud Canticorum «Tempus putationis advenit,» observat Spiritum sanctum adhibere similitudinem vinitoris, qui amputat ramos inutiles, herbasque noxias eradicat. Neque id semel, sed saepius; semper enim repullulant ea quae nocent. Hanc eamdem diligentiam in rescissione vitiorum necessariam censet. «Quis enim, inquit, ita ad unguem omnia a se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; saepe putandum est, imo si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimules, invenis.» Sermonem hunc paulo post sic concludit: «Scrutemur» iuxta Prophetam «vias nostras» et studia nostra, et in eo se quisque iudicet profecisse, non cum non invenerit quod reprehendat, sed cum quod invenerit, reprehen-

1 Serm. 58 in Cant.

det. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti. Et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris. Si autem semper hoc, cum opus est, facis, semper facis: semper ergo opus esse tibi memineris.»

Haud minus hoc loco quadrat similitudo patris familias, rationem expensorum exigentis a servo suo, quam idem Chrysostomus adhibet alio loco [1]. «Statim, inquit, cum surreximus a lecto, priusquam nos conferamus ad forum, vel priusquam aggrediamur opus aliquod, vel privatum, vel publicum; vocato ministro, rationem sumptuum petimus, ut sciamus quidnam male, vel quid bene expenderit. Et si viderimus parum quiddam desiderari, omnibus modis recogitamus accessionum occasionem, ne inviti perdamus. Faciamus igitur hoc et in operibus nostris, vocata conscientia nostra, faciamus similiter rationem verborum, operum, cogitationum; et scrutemur, quid utiliter insumptum sit, et quid in perniciem nostram. Quae concupiscentia oculum in intemperantiam provocarit, quae cogitatio cum damno nostro in opus prodierit, vel per manus, vel per linguam, vel per cogitationes ipsas.» Vt vero fructum ab examine referamus, qui non in cognitione peccatorum, sed emendatione consistit, sic pergit: «Operam demus, ut ab intempestivo sumptu absistamus. Pro semel male insumptis, aliud reponamus lucrum; pro verbis temere prolatis, sanctas preces; pro visu intemperanter facto, eleemosynas et ieiunia. Quod si intempestive insumpturi sumus, nullumque nobis vel reposuerimus, vel thesaurizaverimus bonum, in extremam redacti inopiam solvemus poenam, immortali igni nos iniicientes. Igitur servorum mane rationem facere consuevi-

1 Serm. de Poenit. et Conf.

mus: operum autem post coenam et vesperam in cubilibus, nullo interturbante, nullo obstrepente, omnium eorum, quae per diem facta et dicta, rationes a nobis exigamus. Et si quid viderimus a nobis peccatum esse, puniamus nosmetipsos; increpemus mentem et conscientiam; compungamus rationem tanto impetu, ut non audeat ultra exsurgere, et in idem peccatorum profundum nos inducere, memores vespertinae plagae. Et quod tempus hoc huic rationi accommodatius sit, audi Prophetam dicentem: «Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.»

Comparatio iudicis reum examinantis, in scriptis Patrum occurrit frequentius. Bernardus ad Fratres de Monte Dei [1]: «Disce, inquit, secundum communis instituti leges tu tibi praeesse, et vitam ordinare, et mores componere, et teipsum iudicare, et teipsum apud teipsum accusare, saepe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat iudicans iustitia, stet rea et seipsam accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo te fidelius iudicabit. Mane, praeteritae noctis fac a temetipso exactionem, et venturae diei tu tibi indicito cautionem. Vesperi, diei praeteritae rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. Sic districto, nequaquam tibi lascivire vacabit.»

Augustinus breviter [2]: «Ascendat homo adversum se tribunal mentis suae; existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque, quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc postea fiat.»

In hac similitudine fusior est Chrysostomus, ad verba Psalmi IV supra relata, «In cubilibus vestris compun-

1 Ante med.
2 Homil. 50. inter 50 cap. IV.

gimini.» «Post coenam, inquit, quando itis dormitum, quando estis decubituri, et nullo praesente multa quies et silentium, et nemine interturbante profunda tranquillitas, excita iudicium tuae conscientiae. Ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia, vel dolos construens, vel propinquum circumveniens, ea cum in illius quietis tempore in medium adduxeris, et improbis illis cogitationibus conscientiam iudicem dederis; eas fodica et dilania, et de eis poenam sume, occide cogitationem quae peccavit. Id enim sibi vult illud: Compungite, pro eo quod est, pungite, stimulate, quae in cordibus vestris dixistis interdiu. Hoc est, mala quae cogitastis consilia, ea in cordibus vestris in tempore illius quietis punite, in ea animadvertite; quando neque amicus interturbat, nec famulus irritat, nec turba negotiorum urget, tunc vitae interdiu actae rationem exigite. Et cur non dixit, verborum et factorum, sed malarum cogitationum? Hoc docens ex abundantia; si enim mala sunt castiganda consilia, ut non in opus exeant, multo magis pro factis et dictis oportet angi animo. Haec fiant singulis diebus, nec prius dormieris, o homo, quam mente versaveris ea, quae a te interdiu perperam acta sunt, et die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda.»

Rursum alibi idem Chrysostomus [1]. «An non codicem domi habes, in quo quotidianas rationes scribas? Habe item codicem in conscientia, et quotidiana peccata scribe. Verbi gratia, cum in lecto tuo iaces, nec quisquam est qui tibi negotium facessat, antequam somnus irrepat, libellum in medium produc, et peccata tua tecum reputa, dicens apud teipsum: Numquid hodierno die, vel sermone, vel opere, peccavi? Hoc etiam ut

1 In Psalm. 50. Homil. 2. in medio.

faciamus monet Propheta, cum ait: «Irascimini et nolite peccare: quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.» Diurno tempore id faciendi spatium non habes; verum, et Praefectorum metus, et sodalium colloquia, et negotiorum cura, et alendae prolis studium, et uxoris procuratio, et parandae mensae sollicitudo, et denique infinitae res, animum tuum distrahunt. Cum autem in lectum, hoc est, ad tranquillitatis portum te coniecisti, nec ullus est qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animae tuae: Exegimus hodiernam diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali admisimus? Ac gehennae recordare, ut metu affectum bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto sis, atque in peccatorum tuorum memoriam venias, collacryma, atque hac ratione ea in lecto delere potes. Deum tuum roga atque obsecra, sicque corpus somno trade, posteaquam prius peccata tua confessus fueris, ac rationes a teipso exegeris; sic enim requiem a Deo obtinebis. Molestumne ac grave est, in lecto iacentem quotidiana peccata supputare? Cum autem ea supputas, animum tuum suspende, ipsum expoli, ipsum gehennae metu aperi, ipsi sectionem, quae dolore careat, adhibe. Horrendum tribunal tibi effice, animum leniorem redde, ut postero die ad perpetranda peccata cunctantius accedas.»

Vtilitatem huius iudicii declarat S. Papa Gregorius, his verbis [1]. «Quisquis aeternitatis desiderio anxius, apparere venturo iudici desiderat mundus, tanto se subtilius nunc examinat, quanto nimirum cogitat, ut tunc terrori illius liber assistat; et ostendi sibi exoptat, ubi displicet, ut hoc in se per poenitentiam puniat, seque hic diiudicans iniudicabilis fiat.» Id ipsum insi-

1 XI Moral. 23.

nuasse visus est ipse Apostolus, cum ait [1]: «Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.» Chrysostomus in hunc locum [2]: «Non dixit, si puniremus, si supplicium de nobis sumeremus, sed, «si diiudicaremus»: hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si condemnare nosmetipsos, liberaremur utique et ab huius et futuri saeculi suppliciis. Qui enim seipsum condemnat, dupliciter Deum placat, et quia peccata sua cognoscit, et quia in posterum pigrior ad peccandum efficitur.»

Magnae molis sit dicta omnia Patrum congerere, pondere iusto librantium discussionis huius fructus eximios, de quibus ipsi etiam Sapientes ethnici, Philosophique luce fidei destituti, praeclare senserunt. Missis caeteris, unus Seneca proferatur, qui remediis irae valentioribus, (de quo vitio sermo erat) quotidianum animi sui examen accenset. «Animus, inquit [3], quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, et erit moderatior, quae sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? Vtor hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum a conspectu lumen est, et conticuit uxor, moris mei iam

1 1 Cor. xi, 31.
2 In 1 Corin. 1. hom. 28.
3 Lib. III de Ira. cap. 36.

conscia, totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco; in illa disputatione pugnatius locutus es: noli postea congredi cum imperitis; nolunt discere, qui numquam didicerunt: illum liberius admonuisti, quam debebas; itaque non emendasti, sed offendisti. De caetero vide, non tantum an verum sit, quod dicis, sed an ille cui dicitur, veri patiens sit.» Quam egregie describit formam modumque, tum excutiendi, tum etiam corripiendi suiipsius; quam potenter omnes ad iudicium hoc invitat, a rei facilitate, a benevolentia iudicis, a correptionis suavitate et secreto.

Synopsis totius capitis huius haec est. Examen generale, medicinam esse, qua morbis animi medeamur; culturam horti interioris, qua noxia quaelibet evellamus; stateram aequam, qua rationem expensorum exigamus a nobisipsis, ne sensim ad aeternam pauperiem redigamur; anticipationem iudicii divini, ne huius rigorem malo nostro subeamus; excussionem pulveris lutique abstersionem, a creaturis rebusque exterioribus adhaerentis; macularum detersionem, quae vestem animae inquinaverunt; lavacrum, quo nosmetipsos abluimus in sanguine Agni; scopas, quibus animae sordes everrimus, ut domus nostra munda sit et immaculata. Has ipsas scopas adhibebat David, cum dixit [1]: «Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.» Harum scoparum, ut observat Iob [2], maior incumbit necessitas, his «qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum.» Do-

1 Psal. LXXVI, 7.
2 Iob, IV, 19.

mus enim luteae, quales sunt quas incolimus, facillime sordescunt.

CAPVT II

DE FORMA EXAMINIS GENERALIS QVOTIDIANI, ET DE PVNCTO EIVS PRIMO, SIVE ACTIONE GRATIARVM

Formam huius Examinis proponit S. Ignatius in principio Exercitiorum his verbis:

EXAMINIS GENERALIS MODVS

PARTICVLAS SEV PVNCTA QVINQVE COMPLECTENTIS

Primum punctum est, Domino nostro Deo, pro beneficiis acceptis, gratias agendas esse.

Secundum, quod debemus, pro cognitione et expulsione peccatorum, gratiam flagitare.

Tertium, de admissis praesenti die peccatis, rationem ab anima nostra exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primo quidem, circa cogitationem, eodem ordine quo in particulari Examine traditum est.

Quartum, poscere veniam de delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem: et orationem dominicam post dicta omnia recitare. Pater noster.

Ante omnia inquirendum declarandumque est, quam ob causam S. Ignatius hoc exercitium a gratiarum actione exordiatur. Primo quidem, actio gratiarum pro beneficiis acceptis, res obligationis rigidae est, et sacrificium laudis, quo benefactor divinus honoratur; dein disponit ad nova maioraque beneficia de manu Dei recipienda. Neque enim dubium esse potest, quin defectu

gratitudinis erga fontem, ex quo omnia promanant, donorum coelestium abundantia destituamur. Hinc redditio gratiarum tantopere commendatur a Sanctis Patribus, hinc ea toties inculcatur ab Apostolo Paulo, hinc toties reipsa praestatur a Davide in psalmis. Cautum porro voluit S. Pater, ne haec gratiarum divinarum reminiscentia, et qualiscumque compensatio, ab exercitiis nostris spiritualibus umquam abesset. Quamquam vero huic officio in meditationibus locum non unum assignaverit, praesertim in colloquiis, fixe tamen in ipso Examinis principio debitum hoc locavit, veluti loco omnium securissimo. Neque enim exercitia reliqua, vel omnium, vel cuiusvis temporis sunt; Examen autem, ut patebit, et ab omnibus, et omni tempore adhibendum est. Vt enim momenti maioris negotia quandoque suffurentur tempus orationis, at nullum omnino momenti tanti censeri potest, ut eripiat tempus Examinis. Non potuit igitur Ignatius gratiarum actionem firmiori loco collocare, quam in fronte Examinis.

Praeterea, ipsa huius disquisitionis natura hoc officium gratitudinis, quasi comitem subsidiarium, postulat. Id ut liqueat, praefandum observandumque est, morem esse iustorum, beneficia divina efflagitantium, ab indignitatis suae accusatione orationem occipere, iuxta illud [1]: «Iustus prior est accusator sui.» Contra vero, morem esse Dei, dum iniustis peccata improperat, revocare dona sua in memoriam, inchoando ab exprobratione, accusandoque nos immemores beneficiorum. Quoniam igitur hanc disquisitionem instituimus, ut peccatorum et ingratitudinis nostrae nos accusemus, non possumus aptius exordiri, quam a gratiarum actione

1 Prov. xviii, 17.

de bonis a Deo accepis. Sive enim peccata nostra incusamus ad divina beneficia consequenda, sive de acceptis beneficiis gratias agimus ad impetrandam veniam peccatorum, eadem utrinque emolumenta proveniunt. Morem hunc, quem dixi, observavit Deus, quando Davidem adulterii arguit; sic enim illi per Prophetam loquutus est [1]: «Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Iuda: et si parva sunt ista, adiiciam tibi multo maiora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?» Et iterum, cum rebellem populum suum gravissime reprehendit per Michaeam [2]: «Populе meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, et de domo servientium liberavi te... Et custodisti praecepta Amri (impii regis Israel, patris Achab), et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes in ea in sibilum.» Haec ad exaggerandam scelerum gravitatem, pudoreque peccatores confundendos, verecundiamque concitandam ac extorquendam. Tantas habet vires rememoratio beneficiorum.

Viam longe aliam ineunt iusti; cum ad gratias et beneficia divinam misericordiam student pellicere, ante omnia reos se profitentur, Deumque delictorum suorum memorem reddunt. Tobias senior ingemiscens, et cum lacrymis ad Deum conversus, in hunc modum orationem ordiebatur [3]. «Iustus es, Domine, et omnia iudicia

1 2 Reg. xii, 7.
2 Mich. vi, 3.
3 Tob. iii, 2.

tua iusta sunt... Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obedivimus praeceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et in improperium omnibus nationibus.» Bethulia per Holofernem ad rerum omnium desperationem redacta, populus flens et ululans sic orabat [1]: «Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te.» Danielis Babylone captivi oratio erat haec [2]. «Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis ac iudiciis. Non obedivimus servis tuis prophetis, qui loquuti sunt in nomine tuo regibus nostris,... patribus nostris, omnique populo terrae. Tibi, Domine, iustitia:... nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris, qui peccaverunt. Tibi autem, Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio, quia recessimus a te.» Ad hanc ipsam rationem, iusti alii, ante Dei pedes prostrati, et misericordiam implorantes, ante omnia reatuum suorum gravitatem exponunt. Mirabilis enimvero rhetorica, et oratorum omnium regulis e diametro adversaria. Etenim qui ab homine nititur sive gratiam sive veniam consequi, argumentum dicendi desumit a meritis personae, et praeclare gestis; qui vero divinam opem implorant, tamquam telum maxime efficax, peccata sua promunt et multa et magna, ut Deum sibi reddant propitium et liberalem, atque in hunc modum perorant: «Tantum abest,

1 Iud. VII, 19.
2 Dan. IX, 5.

Domine Deus, ut dignum me comperiam beneficio, quod exposco, ut mille titulis potius me indignum reddiderim; neque mihi ullatenus, sed unicae misericordiae tuae, quaecumque impetro, adscribere possim. Magna sunt omnia, quaecumque in creaturas tuas derivas, hoc ipso quod promanent ex te; verum magnitudo haec increscit summopere, propterea quod ea conferantur immeritis; quantumque cumulus peccatorum meorum mihi detrahit meritorum, tantum addit beneficiorum tuorum magnitudini incrementum. Gratiae tuae munera non efficient, ut me aliis melioribus comparem; tua illa sunt, quaecumque elargiris, omni ego nuditate, ignominia, supplicioque dignissimus: «Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae [1].» Novi, Domine, quia natura tua misericordia est, proclivis ut divitias bonitatis suae creaturis semper communicet, at peccata mea veluti constringunt et ligant munificas manus tuas. Id compertum habeo, Domine mi; propterea supplex veniam peto, ut sublato obice, gratiarum tuarum abundantia in me defluat.» En affectus, quos involvit accusatio sui in principio orationis. Eius efficaciam auget, quoniam tollit obstacula gratiae impetrandae; disponit ad depressionem sui, dona integre adscribendo donanti, neque sibi relinquendo quidquam, praeter verecundiam et pudorem; excitat etiam ad gratias agendas, tum quia crescit beneficium ab indignitate recipientis, tum quia per se maiorem gratitudinem postulat, quod non nisi ex misericordi liberalitate donatum est.

Iam porro videamus, eadem haec omnia profluere ex gratiarum actione, quam praemittimus, dum accingimur ad excutiendam conscientiam, aliaque quae discus-

1 Baruc. 1, 15.

sionem hanc consequuntur. Quando enim exercitium hoc sic incipimus, tantumdem agimus, atque si exordiremur hoc modo: «Millenis titulis me tibi devinctum, millenis aliis atque aliis devincire pergis in dies, ut fidelem tibi, Domino meo, serviam servitutem. Si huic debito desum, in me unum cadit culpa, notaque ingratitudinis tanto gravioris, et detestabilioris, quanto beneficiis ex omni parte amplissimis minus respondeo. Non est tamen unde spem abiiciam, atque animis cadam, cum inter tot noxas, quae quotidie me circumdant, reipsa experiar torrentem gratiarum, misericordiae, amorisque tui, in me nondum arescere; sed beneficia beneficiis tuo munere superadiici. Novi, Domine, per hanc inertiam torporemque meum irritari te ad vindictam, ut qui amore non trahitur instar filii, stimulis poenarum servilibus excitetur. Hoc igitur fixum habeo, rationem inire mecum, et praevenire iustitiae tuae flagella, et detecta debitorum summa, pro his satisdare, ut tu, Pater misericordiarum, flectaris, et peccata filii tui dissimules.» Haec ergo ratio est, qua Examini huic principium damus. Hoc punctum primum, sive gratiarum actio, si rem attentius inspicimus, veluti compositio loci est, qua constituimur in praesentia Dei, tamquam Patris amantissimi, et benefactoris immensi, qui dona sua vetera novis et maioribus augere paratus est. Considerari etiam potest hoc punctum, veluti oratio quaedam praeparatoria ad hoc exercitium, qua nos disponimus ad cognoscendum numerum gravitatemque erratorum, ut fiducia nostra de consequenda culparum venia crescat, atque ad expungenda debita novis beneficiorum auxiliis coelitus roboremur. Haec enim sunt Examinis effecta praecipua.

At, ne, quaeso, inter beneficia, de quibus gratias agimus, illud excidat, quod et quotidianum, et ad extimu-

landam socordiam nostram summopere observatu necessarium est. Promptitudo scilicet miserentis Dei, qua infirmitati nostrae condolens, quotidie ignoscit peccantibus, etsi post dolorem et propositum rursus in delicta eadem recidamus. Tangit hoc beneficium S. Basilius, et de eo docet agere gratias singulares, his verbis [1]: «Gratias tibi ago, Domine, propter incredibilem clementiam, et in ferendis hominum culpis facilitatem tuam; qui peccantem me quotidie patientia tua sustines, et ad resipiscendum omnibus nobis potestatem facis. Propter hoc enim taces, et nos sustines, Domine, ut tibi gratias agamus, qui salutem generis nostri, modo terrendo, modo leniter exhortando, moderaris; quique per prophetas primo, postremo etiam per adventum Christi tui, nos visitaveris. Tu enim finxisti nos, et non ipsi nos, tu es Deus noster. Eodem spiritu Deum alloquuta est, quae dixit [2]: «Benedictum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.» Haec de puncto primo sufficiant.

CAPVT III

DE SECVNDO PVNCTO EXAMINIS, SIVE PETITIONE GRATIAE

Punctum alterum est, «pro cognitione et expulsione peccatorum gratiam flagitare.» Huc enim praecipue dirigitur hoc exercitium, ut et cognoscantur peccata, et expellantur. Quoniam vero utrumque hoc negotium, neque paucis, neque parvis, difficultatibus impeditur,

1 Constitut. Monast. cap. II.
2 Tob. III, 13.

gratia divina utrinque opus est singulari. De difficultatibus circa hanc cognitionem, hic agemus; de iis vero, quae expulsionem concernunt, dicemus aliqua ad punctum quartum et quintum. Tria igitur cognitionem hanc difficilem reddunt: primum oritur ex parte intellectus, alterum ex parte voluntatis, tertium ex parte sensuum distractorum.

Ad tollendam difficultatem primam, intellectum illustrari necesse est, ut discernat inter bonum et malum. Quantoque defectus minutiores sunt, quos perspectos emendatosque volumus, tanto luce indigemus maiore; neque enim atomos nisi ad solis radios persentiscimus, et in omni arte mechanica, quanto artifex excellentior est, tanto operis perfectionem intimius penetrat. Hic errores detegit, aliis minus notos, aut non observatos; hic multa castiganda reperit in iis ipsis, quae plerique pro absolutis habent. Pictorem reperias, numquam manum removentem a tabula, et in ea semper aliquid emendantem, quod caeterorum oculos fugit, ubi pictor minus perspicax proponit publico tabulam, tamquam numeris omnibus perfectam, et tamen vitiosam. Vnde haec differentia? nisi a defectu artis, facultatem cognitivam inficientis, ut neque perfectionem operis assequatur, neque penetret eius perficiendi modum. Hoc ipsum evenit in progressu spirituali, ubi illud agimus in primis, ut ad imaginem Domini nostri, Iesu Christi, actiones omnes efformemus. Ad hoc vero vis animae perspectiva coelesti lumine instruenda est, ut virtutis cuiusque et axiomata et exercitationem perfectam probe intelligat. Porro lucem hanc in nos transfundit aspectus Domini nostri, quando illum non in umbris aut figuris contemplamur, sed in seipso. Quemadmodum ad hoc ipsum ipse se in terris spectabilem reddidit, ut in faciem eius figeremus obtutum, et in

eamdem transformaremur imaginem, ut ait Apostolus [1]: «Omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem,» a luce minori ad maiorem, et pro lucis incremento, ad erratorum minutias magis magisque in examine detegendas.

Ex parte voluntatis plurimum impedit amor proprius. Hic enim nititur tegere defectus et excusare, quando in lucem proferendi accusandique sunt. Non amat cognosci, id quod sibi adversatur, neque ad id attendi, quod naturae ingratum est. Suppetias petit a sensibus, in res externas distrahi solitis, neque patientibus animi collectionem ad sui cognitionem; et ut sensus denique vi adhibita contineantur, hebetes sunt, et stupent, ut interiora sua perspiciant. Quodque illis contingit, qui a claro die transeunt in locum tenebrosum, ut sub ingressum nihil omnino videant, sed sensim lucem aliquam nanciscantur; hoc ipsum accidit iis, qui excutiendis conscientiae erratis recenter animum applicant. Molestia subtilitasque materiae, repugnantia amoris proprii, libertas sensuum rebus omnibus, praeterquam sibi, intendere assuetorum, usque adeo mentem obtenebrant, ut parum absint a caecitate. Verum disquisitionis perseverantia, concomitante luce gratiae divinae, paulatim efficit, ut peccata cognoscant, et detestentur. Consuetudo enim inspiciendi seipsum, et commorandi in secreto cordis, facit, ut occulta pandantur, et revelentur abscondita, ut recte adnotavit Richardus [2].

Quoniam igitur [3] «pravum est cor hominis, et inscrutabile: quis cognoscet illud?» nisi [4] «Scrutans corda et

1 2 Corinth. III, 18.
2 De Somnio Nabuchod. cap. 22.
3 Ierem. XVII, 9.
4 Psalm. VII, 10.

renes Deus?» Nemo ergo hanc abyssum penetrare praesumat, nisi induatur virtute ex alto [1], quae illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet consilia cordium [2]. Haec igitur causa est, cur gratiarum actionem, ad peccatorum cognitionem et expulsionem petitio gratiae subsequatur.

Duo hic notanda occurrunt. Primo, duo haec priora puncta examinis, respondere orationi praeparatoriae et praeambulis meditationis. Oratio, quam S. Ignatius praeparatoriam vocat, secundum eius leges meditationi semper praemittitur, ut per eam disponatur anima ad utiliter tractandum cum Deo; oratio vero praeparatoria in hoc examine gratiarum actio est, ut dictum superius. Huic orationi proxime coniungitur compositio loci, qua Deum nobis, nosque Deo, praesentes sistimus, idque ea ratione, quam postulat materia ad meditandum proposita; in Examine autem Deum nobis praesentem constituimus, ut liberalem, amabilem, promptum ad ignoscendum et benefaciendum, ob rationes in puncto primo memoratas. Succedit in meditatione alterum praeambulum, quo petimus a Deo fructum, quem meditationi praefiximus: cum igitur Examinis fructus sit, cognitio et emendatio peccatorum, ante discussionem conscientiae, hunc fructum consequi petimus. Quorsum haec? Vt pateat, quantopere conveniant meditatio et examen, et quam constanter utrobique eadem doceat idem auctor et magister.

Notandum secundo: quemadmodum praeambulis non est diutius immorandum, quam requirat dispositio ad meditationem, quam ex instituto aggredimur, id ipsum etiam in hoc gemino capite Examinis usuveni-

1 Luc. xxiv, 49.
2 1 Corinth. iv, 5.

re. Etsi enim beneficia divina considerationis materiam subministrent, quam facile sit ad dies plures et menses extendere, hoc tamen loco breviter expedienda sunt, ut et ipsa petitio gratiae. Pro qua servire potest haec methodus: «Tu vero, benignissime et liberalissime Deus, beneficiis tuis innumeris in me collatis hoc praeterea adiice, quod divinam Maiestatem tuam humillime rogo, ut in animam meam emittas lucem, et veritatem, et abundantiam gratiae tuae, qua meipsum sine dolo cognoscam, sine adulatione reprehendam, et per notitiam peccatorum, ad contritionem veram poenitentiamque perveniam.»

CAPVT IV

DE TERTIO PVNCTO EXAMINIS, SIVE INQVISITIONE PECCATORVM, ET DE VITIO CIRCA HOC PVNCTVM PER DEFECTVM

Sequitur punctum, a quo nomen habet hoc exercitium, quodque substantia ac veluti corpus est, scilicet, discussio peccatorum illius diei: nisi seduli hic sumus, destituimur fructu sperato. De discussionis huius obiecto, sive de rebus quae examinandae veniunt, sive de ratione qua peccata ordinaria cogitationum, verborum et operum ad certa quaedam capita reduci possunt, nunc quidem sermo non est; erit inferius, ubi de materia huius Examinis. Formam eius hic versamus, atque ea pertractamus, quae inquisitioni huic vel obsunt, vel prosunt.

Tria sunt, ut praecedenti capite dicebamus, quae cordis sinum excutienti negotium facessunt. Primum est absentia lucis, quae requiritur in intellectu, ut sibi quisque praefigat normam rectam, sive legem certam et regulam agendorum. Alterum amor proprius, qui

prohibet ne culpis nostris pondus demus et gravitatem, quam in se habent. Tertium distractio sensuum, quae impedit attentionem, et memoriam divertit ad alia; unde fit, ut declinet homo ea intueri, quae intra se sunt, et vagetur extra se. Ex tribus his capitibus in hoc Examine oriri solent vitia duo, sibi mutuo adversaria: alterum ex defectu, alterum ex excessu. Vitium ex defectu illorum est, qui revera se non excutiunt, sive quia huic exercitio tempus certum stabileque non fixerunt; sive quia tempus quod praefixerunt, exercitiis aliis pietatis, vel alterius generis cogitationibus consumunt. Non stimulantur ad inquirendum, quia nihil inveniunt; certum tamen est, nihil eos invenire, quia non inquirunt. Alii, qui vitio contrario per excessum laborant, toti sunt in hoc opere, et cum anxietate immoderata, atque nimia perturbatione animi sua omnia recognoscunt. Vtrumque hoc vitium ex uno eodemque amoris proprii fonte scaturit. Primi quidem ex amore sui declinant peccatorum suorum conspectum, posteriores vero ex principio eodem horrent erratorum poenas, utque illas evitent, timore percelluntur, ubi nullus est timor; et scrutantur intima, ut culpas inveniant, etiam ubi non sunt. Si in examine non deprehendant farraginem delictorum, seipsos torquent, et in extremas rediguntur angustias. Suspicantur de opere malo, quod ne quidem in mentem venit, liquideque sibi adscribunt, quod nullatenus perpetrarunt, atque ex his ipsis scrupulis scrupuli pullulant alii atque alii. Dumque ex una parte persuasum habent circumferre se conscientiam oneratam peccatis, et ex altera caecos esse se, qui delicta sua non videant; lancinant seipsos, excruciantque cor suum dolore noxarum magno, et fructu exiguo. Contingit utrisque id, quod peregrinantibus, qui aberrant a via recta, quam ignorant; horum enim aliqui

humi considerent, neque studeant iter prosequi; aliqui se fatigant, percurruntque montes et valles, neque tamen hilum proficiunt. Amor proprius illis persuadet quietem, ne contendant frustra, atque operam perdant; his laborem indefessum, ne traducant noctem sub dio: utrumque oritur ex ignorantia viae certae. Idem prorsus evenit in re, quam agimus. Qui destituuntur legibus certis et regulis ad hoc opus determinatis, partim ab examine abstinent, partim cruciabili modo excedunt; utrique errant damno suo gravissimo, siquidem ad profectum suum spiritualem aspirant.

Primis illis, qui per defectum peccant, proderit haud parum, attendere ad verba S. Patris nostri, qui tria postulat in hoc puncto. «I. Rationem ab anima nostra exigere. II. Per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando: et primo quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem. III. Eodem ordine quo in examine particulari traditum est.» Haec tria, inquam, si serventur, conferent plurimum, tum ut superentur difficultates supra memoratae, tum in primis ut excutiatur vitium, quod oritur ex defectu. Verbum enim illud, «rationem exigere ab anima sua,» virtutis magnae est, ut homo animo humili et demisso vivat, tamquam vitae rationem aliquando redditurus, atque intra seipsum habens, qui illam exigat. Etenim «rationem exigere» iurisdictionis vocabulum est, quam agnoscere reformidant, quibus peccandi libertas placet. Iuxta illud Iobi [1]: «Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.» In quae verba Gregorius [2]. «Fit plerumque, ut anima pravis desideriis serviens, a iugo se divini timoris excu-

1 Iob, xi, 12.
2 X Moral. 10.

tiat, et quasi in malorum perpetratione iam libera, omne quod voluptas suggerit, implere contendat.» Quisque igitur sibi persuasum habeat, pollere se iurisdictione in seipsum: neque aliter vitam instituat, quam rationem aliquando exactam Deo daturus, et ne rationis huius dein reddendae oblivio subeat, iam nunc sollicitus sit, ut quotidie illam exigat a seipso.

Hoc posito, rationem scilicet reddendam esse, supponendum ulterius veluti indubitatum, neque rationem ullam posse dari, neque exigi, nisi cum respectu ad regulam certam et determinatam, ad quam rationis aequitas appendenda sit. Vt, si ratio danda sit expensorum, necesse est pecuniarum summam certam et determinatam illi concreditam fuisse, cui dare rationem incumbit; cum his enim pecuniis, tamquam regula, commensuranda haec ratio est. Si vitae vel actionum danda ratio est, qualem exigit iudex a reo, oportet dari legem vel leges certas et determinatas, ad quas tum accusatio, tum sententia ipsa, respiciant. Eodem prorsus modo, nequit homo rationem exigere ab anima sua, nisi hanc referendo ad legem vel leges certas, secundum quas ipse se accuset, et in se sententiam ferat. Momenti summi doctrina haec est, utpote a qua pendeat magna ex parte profectus omnis spiritualis. Propterea verissime Thomas a Kempis [1] «Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri.» Propositum, quod nobis formamus, lex et regula nostra est; et quo perfectius fuerit hoc propositum, eo perfectiores esse actiones nostras necesse est, utpote quae conformes esse debeant huic legi. Qui nihil proposuerit, nihil inveniet quod examinet; qui perfectiora proposuerit, in examine deteget defectus minores. Sicut enim latomum, aptantem lapidem, fu-

1 Lib. I, cap. XIX, n. 2.

git, minusne an plus resecandum sit, nisi applicet regulam; ita se examinantem latet, an peccaverit nec ne, nisi applicet actiones suas proposito sive legi, quam sibi praefixit. Adeo ut examen non sit aliud, quam secundum regulam praestitutam metiri opera diei cum propositis matutinis. Si non aliud proposuimus, quam evitare mortalia, examen praeter mortalia nihil inveniet; si praeterea constituimus haec et illa venialia declinare, de his etiam arguet conscientia in examine. Idem erit de imperfectionibus, quantumvis exiguis. Proin attendat unusquisque, quousque extenderit propositum suum, circa modum orandi, circa sacrificium Missae, officium divinum, discursus familiares, mensam, animi relaxationes, etc., mensura enim propositi, mensura erit profectus. Piscatores piscibus minoribus venandis intenti, retibus utuntur constrictioribus; rariora enim retia solos pisces maiores capiunt. Aptanda sunt proposita vitiis, quae emendare intendimus. Sunt qui proposita formant adeo laxa, ut vix sufficiant ad salutem. Istiusmodi retibus solae fere balenae captantur; neque enim serviet hoc examen, nisi ut peccata gravia foetidaque deprehendant, caetera enim conscientiam illorum non pungunt. Quisquis igitur apud se constituit, vel medio die, vel vesperi, a se exigere rationem, fixum habeat quando diem orditur, sibiipsi legem aptam certamque praescribere. Iuxta illud eiusdem a Kempis [1]: «Mane propone, vesperi discute mores tuos.» Sic vincitur difficultas prima, quae nascitur in intellectu. Quicumque enim legem sibi fixerit certam, sigillatimque proposuerit circa cogitationes, verba et opera, lucem et claritatem afferet rationibus, quando illas a se exegerit, excessumque et defectum facile observaturus est.

1 Lib. I, cap. XIX, n. 4.

Remedium iam propositum ad lucem intellectus ingentem, insignemque in cognitione sui profectum sufficeret, si nullum ab amore proprio poneretur impedimentum; verum adversarius ille non patitur, aequos nos esse iudices animi nostri. Ah! utinam examinaremus nosipsos sine dissimulatione, sine involucris, sine adulatione; velumque procul removeremus ab oculis, quod amor proprius obiicit, cum intuitum interiorem excaecat, et pervertit iudicium rationis! Amoris huius vitio saepissime fit, ut dum in cordis secreto nosipsos accusamus, simul etiam excusemus; dum reprehendimus, simul adulemur; dum castigamus, simul palpemus; idque etiam in defectibus clare cognitis perspectisque. Hinc fit etiam, ut indignemur, si iudicium quod de nobis ipsi tulimus, aliorum iudicio confirmetur; neque enim tales haberi volumus, quales revera sumus, qualesque novimus esse nos. Propterea protinus evanescit iudicium, iam ante a nobis ipsis latum, aliosque nos censemus quam sumus; neque iam nosipsos novimus, quando iis adhaeremus, quae de nobis alii credunt, qui minime nos noverunt. Error hic accrescit non parum, ex eo quod indulgeamus et obsequamur affectibus malis. Hi enim, dum non corriguntur, sese occultant, dumque non apparent, persuadent se non adesse. Caecitatis huius, ab amore proprio progenitae, remedium efficacissimum est, certare viriliter adversus vitium, quod aperte liquideque perspicimus. Exemplo sit: silentium rigidum sibi indicat garrulus fabulator: deprimere se ubivis studeat, qui corde inflato est: mansuetudini incumbat iracundus, etc. Posteaquam enim id ferventer inceperis, experiere protinus, et veluti manu continges vim affectuum depravatorum et vitiorum tuorum: quae, donec deerat hoc duellum, consopita, et veluti mortua videbantur, ac propterea

neque apparebant, neque sentiebantur; iam apparent et sentiuntur. Experimur vitiorum impetum, quando illorum imperiis reluctamur; qui enim luctatur, lapsum quemlibet ictumque minimum persentiscit; qui non luctatur, sine sensu cadit et vulneratur. Recte ex antiquis Patribus quidam: Dum patet ianua, quilibet ingreditur, nemine sentiente; non sic, quando ostium obseratum est. Hoc ipsum ait cordi nostro accidere: patente enim ianua cordis, intrare vitia et desideria prava, cordis domino ignorante. Hoc certamen igitur aperit oculos mentis, ut erratorum numerus et gravitas intelligatur. Sicut enim amor proprius per conflictus huius horrorem nos excaecat, ne culpas cognoscamus; ita superata hac amoris proprii repugnantia, initoque adversus culpas conflictu, ad illarum notitiam facile pervenitur. Bellum enim hoc virtutis tantae efficaciae est, ut quantumvis ratio per amorem proprium sopita sit, non possit iam non excitari a somno, et deduci ad sensum. Hoc remedium fortasse suggerit S. Pater, cum ait: «Per horas singulas vestigando, eodem ordine quo in examine particulari traditum est.» In particulari examine, ut suo loco videbitur, veluti bellum initur adversus vitium, ut extirpetur; propterea que praescribitur, ut erratorum numerus inquiratur, et adnotetur, procurando ut hic numerus diminuatur in dies. Sed de his alibi. Alteram etiam methodum ad eludendas amoris proprii versutias superaddere possumus, valde efficacem, multumque usurpatam a Sanctis, hanc scilicet: Non gratanter dumtaxat admittere monita aliorum, verum etiam orare, atque urgere, ut candide moneant. Tanto enim alter, qui sententiam de me pronuntiat, veritati propior est, quanto remotior ab affectibus, qui iudicium rectum excaecant; dumque alii idem affirmant, quod in me

ipse experior, tum denique huic iudicio meo firmiter adhaerebo.

Superest difficultas a distractionibus sensuum, et evagatione cogitationum. Etsi huic malo non parum illa medeantur, quae de propositis legibusque certis sibi praefigendis iam dicta sunt, utpote quae singularem in examine attentionem conciliant, praecipue si de hora in horam revocentur singula ad iudicium; iuverit tamen monere quantum conferat ad vitam, sive secundum vitae religiosae, sive secundum prudentiae bene christianae dictamen rite instituendam, omnes diei horas in officia certa distributas habere, et actiones omnes tempore determinato peragere. Vt adeo dies nostri et hebdomades typographia quaedam sint, in qua omnes singulaeque paginae archetypon referunt. Confert id plurimum ad lucrosam usuram temporis, ad accommodam actionum consonantiam, ad affectuum perversorum fraenum, ad cordis aequalitatem, ad serenitatem quietemque spiritus, et ad alia plura, quae experientia docebit. Sed in primis adiumento eximio est haec methodus, ut in examine mox occurrant errata, quae indagamus. Atque hoc praetendit S. Pater, dum requirit, ut peccata «per horas singulas» vestigemus, circa cogitationem, loquelam, et operationem. Supponit enim haec doctrina, actionibus nostris, ordine aliquo convenienti, suas horas et tempora designata esse; sic enim facilius excutimus singulas. Quemadmodum dum chartam quamdam quaerimus inter plurimas, facili negotio illam assequimur, quando suis locis et scriniis omnia locata sunt; contra vero difficultatem summam incurrimus, si sus deque singula confusa iaceant; sic etiam in actionibus bene ordinatis facillime deprehendimus, et factum, et facti modum, caeteraque adiuncta, et an hodiernus dies melior, quam hesternus. Qui vero sua te-

mere, et veluti fortuito facit, quomodo inveniet quae inquirit? Ne illi quidem ipsi notum est, quid egerit, vel quomodo egerit. «Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant,» inquit Salomon [1].

Haec ergo sunt, quae adiumento esse possunt languentibus, qui conscientiam non examinant, defectu materiae. Quis enim adeo caecus sit, qui ubi leges certas et determinatas sibi praescripserit, non videat, utrum illas violaverit, nec ne? Quis tam excors, qui rebellionem affectuum non sentiat, ubi statuerit cum illis tamquam adversariis congredi? Quis tam distractis sensibus, ut non facile illos colligat, si certis horis et temporibus sua omnia egerit?

CAPVT V

DE VITIO CIRCA PVNCTVM TERTIVM AB EXCESSV

Alterum extremum eorum est, qui, enormiter anxii, conscientiam adeo vehementer emungunt, ut eliciant sanguinem, et se torquent ut in lucem sibi minutias proferant, quae reconditae sunt, et in occulto latent. Originem ducit hic error ex eo, quod sibi fingant ad puritatem nitoremque animi perveniri non posse, nisi quascumque noxas, et cuiusque noxae mensuram et pondus, in examine assequantur, rati in hoc officio huius adeo laudati exercitii efficaciam versari. Non ita est, inquirendum in culpas fide bona, quas absque his aestibus animi procellosis nosse possumus, visque omnis examinis collocanda in dolore et proposito emendationis de culpis deprehensis. Etenim ex harum cognitione et emendatione lux animo suboritur nova, per quam ocius illae ipsae maculae reconditae, aliaeque

1 Prov. IV, 19.

minutiores, deteguntur. Has vero assequi absque lucis huius accessu, non magis integrum est, atque legere librum, aut sine oculis, aut in loco obscuro. Etsi enim liber multa contineat, multaque inibi legi possint, quis tamen modus ut legantur, quantacumque diligentia et attentione adhibitis, si vel oculis caret lector, vel lumine? Negari haud potest, occultiores culpas in corde involvi plurimas, praesertim veniales et leviores; verum illas quis assequetur, cui lux deest? Quo vero conatu ad lucem hanc perveniet, quam Deus, ut ait Iob [1], «in manibus abscondit?» Quid porro de illis, qui indagine sua cogitationem avent distinguere a consensu, motum deliberatum a non deliberato, libertatem perfectam ab imperfecta, ut mathematice definiant culpae mensuram? Interea dum id agunt, veniunt redeuntque cogitationes eaedem, et illam ipsam culpam renovant, quam examinant, implicantque iis rebus memoriam, quarum remedium unicum est oblivio. Dum arbitrantur rem acu se tetigisse, implexiores se comperiunt, et tenebris spissioribus involutos, quam in principio. Subit enim inquietis novae progenies, quum reflectunt animum supra hos ipsos examinis sui discursus; dumque descendere nituntur in abyssum impenetrabilem, misere seipsos submergunt. Haec omnia quantum vires nostras excedunt, tantum fructu carent, vel certe exilem referunt. Demus enim per haec omnia perveniri ad culparum quarumdam notitiam, ut illas emendemus, et in Sacramento nos accusemus. Quid inde? quum nihil sit quo obstringamur ad inquisitionem adeo duram et rigidam, praesertim in levioribus. An emolumentum tantulum quidquam habet aestimationis, comparatum cum damnis gravissimis, quae per istiusmodi examen incurrimus? Hinc enim spiritus veluti suffocatur, cor

1 Iob, xxxvi, 32.

affligitur, intellectus obnubilatur, voluntas diffidit, totus homo interior coarctatur, ineptusque fit ad nobiliora exercitia caritatis, quae dilatari gestit et ampliari. Laudo te, si vestis maculam eluis; non tamen, si hanc eluendo corrumpis vestem, aut frangis. Laudo, si potione medica stomachi pellis humores malos; non sic tamen ut periculo vitam exponas. Quis mente sanus gladium exerit, ut culicem mactet? Quis lapidem torquet in muscam? Arma viribus inimici conformantur, et ne damnum lucro praeponderet, providetur. Aurifodinas subministrat humus, e quibus verum aurum eruitur; verum adeo parcum, ut expensae laboris spem lucri superent, et propterea negliguntur. Idem prorsus suadendum est in exercitiis pietatis. Repudianda in examine sunt ea, utcumque spem faciant educendi aurum aliquod humilitatis propriaeque cognitionis, in quibus exiguum lucri stat impensis enormibus.

Pro remedio mali adeo affligentis, documenta profero quinque, ex iis profluentia, quae iam tradidimus. I. Examen semper instituatur super proposito sive lege determinata, iuxta illud Apostoli [1]: «Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans.» Docet igitur ad metam determinatam currendum esse, et decertandum cum hoste certo. Quamquam enim proposita generalia a Deo saepissime suggerantur, ut boni, ut mortificati, ut perfecti simus; non tamen ut examini subserviant haec inspirantur, sed ut quisque stimulos hosce adaptet certis actionibus singulatim. De bonitate enim, mortificatione, perfectione, generatim disquirere, quum ex principiis radicibusque admodum differentibus adversus virtutes illas errari possit, est currere quasi in incertum, et aerem verberare, unde la-

1 1 Cor. IX, 26.

bor oritur ingens, fructus nullus. II. Propositum sive lex certa, quae dirigit examen, sit de re particulari, et proportionem habente cum statu profectuque nostro praesenti. Id monere videtur a Kempis [1]. Posteaquam enim dixisset, «Semper aliquid certi proponendum est, et contra illa praecipue, quae amplius nos impediunt,» quod ad documentum nostrum primum referendum est, subiungit: «Non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit,» quod huic secundo quadrat. Errant igitur, qui aemulari cupiunt, quaecumque vel vident fieri, vel facta audiunt; qui studeant imitari illustria praeclaraque gesta Sanctorum; qui discruciantur immodice ad inordinati cuiusdam affectus impulsum invitis subrepentem, quum non satis sollicite illos doment, quos spontaneos habent; qui dum defectibus maioribus etiamnum subduntur, toti sunt in evellendis quibusdam minoribus. Curis illi enimvero se fatigant, in diffidentiam tandem desperationemque rei consequendae degenerantibus, ut si quis nitatur sine scalis in altum conscendere. Quamquam enim laude dignum sit, ad ipsum perfectionis apicem intendere animum; prudentiae tamen debitaeque humilitatis est, cognoscere statum praesentem, et per gradus ad summa conscendere, neque sine alis volatum praetendere, quod occasionem parit ruinae. III. Restringendum examen ad tempus certum, a tempore scilicet «ex quo surreximus,» usque ad praesens. Sic nimirum, ut tandem aliquando finis sit excutiendorum praeteritorum, et timendorum futurorum modus, qui solent esse gurgites duo, quibus cogitationes discursusque nostri male abripiuntur. Posteaquam iudicio prudentis confessarii praeterita discussa sunt, quantum sufficit, ad discussionem

1 Lib. I, c. XIX, n. 3 et 5.

diei praesentis tota attentione animus applicetur. Praeterquam enim quod ad unicam huius diei causam ventilandam hoc iudicium instituatur, non alius invenietur modus, vel aptior, vel facilior, ut et praeteritis et futuris recte provideatur, quam sollicite incumbendo in diem praesentem. IV. Propositum sive lex non labendi sit eiusmodi, ut interea persuasum habeat, ex naturae infirmitate fieri posse ut saepius relabatur; proinde, quum reatum suum observaverit, non abiiciat animum, neque ultra modum commoveatur; sed a Deo veniam precetur de lapsu, gratias agat de non lapsu, propositum renovet, et remedia provideat pro futuro. V. Circa culpas, quas excutit, illas solas inquirat, quas facili negotio assequi potest, neque vim sibi inferat, ut disquisitionibus superfluis cordis fundum scrutetur. Qui fontem immundum purgat, coenum inde caeterasque immunditias eruit; et quamquam fontis aquam hinc turbari contingat, non movetur propterea, ut terram etiam et arenam ex fundo pergat eruere, neque enim hac ratione fons clarescet. Vt defaecata et pellucida reddatur aqua, remedium unicum est hanc non movere: tum enim sponte sua subsidet, quidquid aquarum nitorem tollit, et post morulam aliquam hae fient crystallinae. Hoc ipsum agendum est, ut anima purgetur. Eximantur peccata graviora, quae illam inficiebant, et ex levioribus illa, quae collectu facilia sunt, secundum propositum matutinum, gradumque profectus praesentis. Et quantumvis hic turbari soleat conscientia, quum ex inquisitione deprehendit reatum suum, non tamen ideo sine termino producendum examen, sed potius cessandum est ab hoc opere, dandaque animo quies, qui sensim ad serenitatem pacemque deveniet, luceque nova suboriente firmabitur, et intelliget inanes maleque fundatos timores suos fuisse.

His modis occurritur importunis quorumdam curis, in hac discussione nimium excrescentibus; docebitque experientia, post adhibitam in hoc puncto tertio diligentiam moderatam, exercitii huius virtutem et robur in quarto quintoque puncto situm esse.

CAPVT VI

DE PVNCTO QVARTO EXAMINIS, ET QVID SIT COMPVNCTIO

Punctum quartum Examinis est, «Poscere veniam de delictis:» quintum, «Proponere cum Dei gratia emendationem.» Ad haec duo puncta referuntur priora tria, tamquam ad finem. Vt quid enim peccata cognoscere, nisi ut eadem detestemur, et emendemus? Actus hic uterque praecipui passus sunt gradientium viam purgativam, et proposita duo primi ponderis incipientium viam virtutis, et veluti anima exercitiorum primae hebdomadae. Quoniam vero in his vitae spiritualis exordiis, quae purgant animam, annis totis, et per vitam omnem immorari non licet, sed ad ulteriora progrediendum est, conducit summopere fructum hunc utrumque stabilem reddere, et quotidie innovare. Hoc autem fit in Examine, per considerationes quasdam et motiva, quae, ex meditationibus hebdomadae primae selecta, in promptu habemus, ut pungamus cor nostrum, et dolorem vivum de peccatis exprimamus. Mirabile videri potest, in hoc opere quosdam mortuorum, quosdam vivorum, consimiles esse. Mortuos assimilant, qui feralem mortalis culpae ictum non sentiunt, adhibitisque adminiculis variis non pulsant serio aures divinae misericordiae, ut per dolorem revertantur ad cor; alii e contrario, vivorum instar, amaris lacrymis culpas etiam levissimas deflent, atque implent illud Davidis, «com-

pungimini.» Quid sibi velit verbum hoc, interpretatur Chrysostomus in hunc modum [1]. «Excita iudicium concientiae tuae... cogitationes malas fodica, et dilania, et de eis poenam sume, occide cogitationem quae peccavit... Pungite, stimulate, quae in cordibus vestris dixistis, punite, animadvertite.» Verbis aliis atque aliis inculcat hoc unum, examinis huius comites esse dolorem castigationemque culparum, ut emendentur; hoc enim sibi velle compunctionem. Dicendum igitur nobis, quid sit compunctio, quae sint eius impedimenta, quae adiumenta, qua ratione semper in nobis conservanda sit.

Compunctionem vocamus dolorem sensibilem, qui cor affligit, vocabulo desumpto ab eo, qui stylo pungitur. Idem igitur est compunctio, quod dolor, afflictio, tristitia. Hinc alibi David [2]: «Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis,» hoc est, vino amaro tristitiae et doloris. Sensus ille tristitiae, quum ex damnis temporalibus, vel ex alieni boni invidia oritur, vanus et perniciosus est, indicatque animum rebus terrenis affixum, ac propterea luci coelesti oculos, et divinis inspirationibus aures, claudentem. Vt in Iudaeis videre est, dolentibus de iactura temporalium, intemperanter legem suam zelantibus, et invidentibus Christo Domino, illumque aversantibus. Hoc enim omne Paulus tribuit spiritui compunctionis, quum ait [3]: «Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.» Contra vero, quando dolor ille proficiscitur ex miseriis et damnis spiritualibus, Deique offensa, sanctus atque utilis est, disponitque vehementer ad lucem divinam, coele-

1 In Psalm. IV.
2 Psalm. LIX, 5.
3 Rom. XI, 8.

stemque consolationem. Id docet a Kempis, cum ait [1]: «Si vis aliquid proficere, conserva te in timore Dei, et noli esse nimis liber, sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos, nec ineptae te tradas laetitiae. Da te ad cordis compunctionem, et invenies devotionem. Compunctio bona multa aperit, quae dissolutio cito perdere consuevit.» Ad doctrinae huius confirmationem sufficiat ipsius Christi auctoritas, dicentis [2]: «Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.» Et iterum [3]: «Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.» Compunctionem utramque, vanam illam et perniciosam, atque hanc solidam utilemque, complectitur Paulus his verbis [4]: «Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam.» Quasi dicat, videte quot quantaque bona nata sint per reprehensionem meam; haec enim operata est «sollicitudinem» ad Dei gratiam recuperandam, «defensionem» mei, qui vos corripui, «indignationem» adversus peccata, «timorem» peccandi posthac, «desiderium» satisfaciendi, «aemulationem» sive zelum corrigendi delinquentes, «vindictam» denique in iis, ad quos pertinet vi officii, ut culpae per poenitentiam castigentur. Tum concludit: «In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio,» declarando non habere vos partem in illo peccato. En utilitates plurimas, quas, teste Paulo, generat «tristitia secundum Deum,»

1 Lib. I, c. XXI, n. 1.
2 Matth. V, 5.
3 Luc. VI, 25.
4 2 Cor. VII, 10.

sive quae nascitur ex peccatis; verum illa, quae ex damnis temporalibus provenit, ut damnosa non sit, inutilis certe est. Id eleganter probat Chrysostomus, docens non alia de causa tristitiam a Conditore naturae nobis inditam esse, nisi ad remedium peccatorum. Audiatur [1]: «Mortem lugere omittens, luge peccata, ut ipsa deleas. Propter hoc enim tristitia facta est, non ut in morte, aut in ulla alia re tali, doleamus, sed ut ipsa utamur ad delenda peccata. Et quod hoc verum sit, exemplo facio manifestum. Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta sunt, quos tollere possunt, non propter illos, quos nihil adiuvare possunt. Puta, adhuc enim manifestiorem volo rationem facere, medicamentum oculos lippientium tantum iuvare valens, nullum alium ob morbum, sed propter oculorum aegritudinem tantum factum esse, negare quis posset? Non propter stomachum, neque propter manus, neque propter ullum aliud membrum. Transferamus igitur rationem ad tristitiam, et inveniemus, quod accidentium nobis nihil adiuvat, peccatum vero solum corrigit; certum igitur quod propter huius sublationem tantum concessa est. Percurramus ingruentium nobis malorum quodcumque, et tristitiam superaddamus, et videamus quid ex hac fiat utilitatis. Mulctatus est quispiam pecuniis: tristatus est, mulctam non emendavit. Filium amisit: doluit, mortuum non resuscitavit, nec defuncto profuit. Flagellatus est quis, alapis caesus, contumeliis affectus: doluit, non revocavit contumeliam. In aegritudinem gravissimam quis incidit; doluit, aegritudinem non sustulit, sed et difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodesse tristitiam? Peccavit quis, tristatus est: peccatum delevit,

1 Homil. 5 ad Popul. ante med.

dissolvit debitum.» Hactenus Chrysostomus. Propterea hanc tristitiam cognitioni peccatorum S. P. N. subiungit. Sicut enim solerti medico non sufficit detegere morbos, sed medendis malis remedium applicat; ita etiam hic medicus non solum docet peccata cognoscere, quod egerat in puncto tertio, sed in quarto praescribit remedium, tristitiam scilicet et compunctionem.

Haec compunctio adeo efficax, quam Apostolus vocat «tristitiam secundum Deum,» supponit abesse ab intellectu tenebras et errorem, quibus impeditur discretio inter vera bona et vera mala: sic ut animus noverit vera bona haec sola esse, quae ad finem ultimum conferunt; sola mala, quae huic fini obsunt. Hanc notitiam suponit primum punctum Examinis, ubi ante omnia de beneficiis spiritualibus Deo gratias agimus; de temporalibus vero, quatenus ad spiritualia consequenda, et ad finem nostrum conducunt. In secundo puncto fatemur, paucis nos veris bonis, et plurimis veris malis instructos esse, ac propterea humiliter lucem petimus, ut vera mala nostra noscamus. In tertio indagamus, quaenam ex his malis incurrerimus isto die. In quarto appendimus vera bona et vera mala, dando suum pondus utrisque, quod revera merentur, ut anima compungatur. Sicut enim pars corporis saucia dolorem sentit, quando levissime tangitur; sic animus hac veritate illustratus, res mundanas contemnens, et spirituales plurimi faciens, quando per discussionem pluribus veris malis se circumdatum videt, per motiva idonea, quae sibi iam ante comparavit, facili negotio doloris sensu movetur, et veluti spinis ictus ad spiritum compunctionis deducitur.

Hinc sequitur, compunctioni non aliud magis obsistere, quam cor durum; hoc enim obstinatione sua armatum, aculeos, qui dolorem animi excitare possunt, non

persentiscit. Illustris de hac re locus est apud S. Bernardum, ubi cordis duri effectus graphice exponit [1]. «Cor durum est, inquit, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia surdum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens.» Haec Bernardus, primo loco tamquam omnium reliquorum caput constituens, compunctione non scindi, neque de damnis spiritualibus dolere.

CAPVT VII

DE TRIBVS IMPEDIMENTIS COMPVNCTIONIS

Tria sunt potissimum, quibus cor induratur, atque adeo tria, quae compunctionem impediunt: abundantia occupationum, abundantia prosperitatum temporalium, et consuetudo peccandi. De his ita a Kempis, capite de compunctione cordis [2]. De primo: «Felix, qui abiicere potest omne impedimentum distractionis, et ad unionem se recolligere sanctae compunctionis.» De secundo: «Felix, qui a se abdicat, quidquid conscientiam suam maculare potest, vel gravare.» De tertio: «Certa viriliter, consuetudo consuetudine vincitur.»

Ad primum quod attinet, occupationum scilicet multitudine cor obdurari, notat etiam Bernardus ad Eugenium Papam, his verbis [3]. «Hinc tibi timui semper, et

1 De Consid. l. I, c. 2.
2 Lib. I, c. XXI, n. 2.
3 De Consid. l. I, c. 2.

timeo, ne dilato remedio dolorem non sustinens, periculo te, irrevocabiliter desperatus, immergas. Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam multae sunt, dum diffidis finem, frontem dures, et ita sensim teipsum quodammodo sensu prives iusti utilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipsis, et duci certe paulatim quo tu non vis. Quaeris quo? Ad cor durum.» Tum relatis cordis duri miseriis, quas ex illo dedimus supra, sic concludit. «En quo trahere te habent hae occupationes maledictae: si tamen pergis, ut coepisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens.» Eodem spiritu scribit Chrysostomus libro II de Compunctione [1]. «Oportet ergo boni huius volentem adire principia, prius animo et mente secedere ab omni perturbatione ac fluctuatione visibilium, atque ad illa conscendere et penetrare silentia, ubi quies summa, tranquillitas iugis, pura serenitas.» Ratio manifesta est: quanam enim ratione fraudes rerum illarum, quae nihil minus sunt, quam quod esse videntur; et praeterea deceptio meiipsius, qui foris alius meliorque videor, quam intus sum, in media tot occupationum inquiete detegi possunt, quum in ipso profundo silentio summaque tranquillitate operose laborantes, vix haec assequamur? Praesertim, quum occupationes negotiaque externa similia sint fluctibus maris; qui, si te illis committis, paulatim magis magisque te a littore removent, ita ut, quum in profundum te detrusum compereris, nec velis, nec possis, ad terram remeare. «Nonnulli, inquit Gregorius [2], toto cordis adnisu saecularibus curis inserviunt. Has, quum adsunt, se agere exultant; ad has,

1 In principio.
2 Pastoralis curae part. II, c. 7.

etiam quum desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidae aestibus anhelant; quumque ab his, cessante forsitan opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent, si actionibus deprimuntur; laborem deputant, si in terrenis negotiis non laborant. Quod cum magno dolore Ieremias Propheta conspiciens, quasi sub destructione templi deplorat, dicens [1]: «Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum?...» Aurum igitur obscuratur, quum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur... Quum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos eius reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, quum causarum saecularium foros, lata itinera, expetunt hi, qui ad ornamentum Ecclesiae internis mysteriis, quasi in secretis Sanctuarii vacare debuerunt.» Verum his missis, sufficiat dicere ad propositum nostrum, quod quemadmodum humus, quae in plateis praetergredientium pedibus perpetuo calcatur, sensim indurescit et lapidescit; ita etiam, longeque magis, indurescant corda, quae negotiis assiduis implicantur, tantoque a compunctione remotiora sunt, quanto negotiis illis tenacius adhaerent.

Praetexunt illi excusationes varias, quas accurate refellit a Kempis [2]. Ante omnia allegant utilitatem proximi, propter quam laudabile sit deserere otium et quietem; quasi vero laudem mereatur, te negligere, ut alteri prosis. «Habeas, inquit, semper oculum super te primum, et admoneas teipsum specialiter, prae omni-

1 Thren. IV, 1.
2 Lib. I, c. XXI, n. 3.

bus tibi dilectis.» Certum est, eos, qui suorum ipsorum obliti in proximorum commoda effunduntur, irretiri negotiis, ad se non pertinentibus, neque sibi commissis, sensimque etiam implicari maiorum et superiorum suorum curis. Propterea ait: «Non tibi attrahas res aliorum, nec te implices curis maiorum.» Charitatis bene ordinatae officia numquam ita excrescent, neque mentem adeo absorbebunt, ut suffocent spiritum compunctionis, dummodo ab iis, quae vel aliorum, vel maiorum sunt, abstineatur. Quapropter plurimi de hac veritate convicti, occupationum tamen retibus intemperanter impliciti, aliorum importunitates causantur, qui ab invitis et reluctantibus officia haec extorqueant; atque hoc fraudulento velo, et sibiipsis imponunt, et caeteris imponere student. Hinc subiungit idem: «Si tu scis homines dimittere, ipsi te dimittent tua facta facere.» Exploratum est haud minus, labore diligentiaque non exigua opus esse, ut memoriae favorique hominum velificemur, rem vero esse perfacilem, aliorum negotia derelinquere; neque aliam, ut homines nos deserant, diligentiam postulari, quam ut illos deseramus. Hinc si veritati locum damus, fatendum est, nos propterea non renuntiare hominibus, ne ipsi nos deserant. Addit igitur pientissimus scriptor: «Si non habes favorem hominum, noli ex hoc tristari: sed hoc tibi sit grave, quia non habes te satis bene et circumspecte, sicut deceret Dei servum.» Doctrinam hanc circa occupationum frequentiam, ex libello illo aureo huc transferendam putavi; qui de compunctione loquens, quam tractamus, nihil eorum praetermittere videtur, quae faciunt ad hanc materiam.

Non ab occupationibus superfluis dumtaxat cor induratur, verum etiam a felicitatis terrenae, laetitiae vanae, et carnalium concupiscentiarum affluxu; his enim

compunctio, iustusque de peccatis dolor similiter suffocantur. Rationem ex Chrysostomo audiamus [1]. «Sicut impossible est, ut ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim haec sibi invicem sunt, et peremptoria: illa quidem mater fletus, haec vero mater est risus; illa cor constringit, haec dissolvit; illa animae alas annectit, et volare facit in coelum, haec ei plumbi pondus imponit, et demergit in infernum.» Pluribus haec prosequitur idem S. Pater. Quanto inimicus hic blandior, naturaeque propensionibus accommodatior; tanto etiam validior est, pluresque victorias numerat, nisi strenue repugnemus. Optime hic observat idem a Kempis, huic hosti nostro vires tantas esse [2], «propter levitatem cordis,» quod facile rebus iucundis abripitur, quum tamen in hoc exilio, tot inter culpas, totque illarum poenas, innumerae lacrymandi causae occurrant; veramque contritionem sentienti, non tantum non possit afferre gaudium mundana prosperitas, sed potius tristitiam augeat et dolorem. Hinc auctor idem ita scribit [3]: «Ne ineptae te tradas laetitiae. Da te ad cordis compunctionem, et invenies devotionem... Mirum est quod homo potest umquam perfecte in hac vita laetari; qui suum exilium, et tam multa pericula animae suae considerat, et pensat. Propter levitatem cordis, et negligentiam defectuum nostrorum, non sentimus animae nostrae dolores: sed saepe vane ridemus, quando merito flere deberemus. Non est vera libertas, nec bona laetitia, nisi in timore Dei cum bona conscientia.» Et infra [4]: «Quando homo est perfecte compunctus, tunc gravis et amarus

1 De Compunct. l. II, ante med.
2 Lib. I, c. XXI, n. 2.
3 Ibid. n. 1.
4 Ibid. n. 4.

est ei totus mundus.» Etenim hunc Deus lacrymis nutrit, veluti cibo et potu, secundum mensuram; ciboque illo et potu tantopere roboratur, ut nihil dulce videatur, nisi quod lacrymas ciet; nihil amarum, nisi quod has exsiccat.

Tribus modis, veluti totidem antidotis, reprimitur inepta laetitia, quam consolationes mundi carnisque voluptates progenerant. I. Adversitatibus a Deo immissis, per iacturam bonorum, honoris, sanitatis, aliasque, quae intentionibus, gustuique nostro repugnant, voluntatem vitiosam infringunt, viamque interturbant, quam gradiebamur. Tantumdem enim hoc est, atque saburrare navem, ne vento prospero evertatur; pondusque cordi adiicere, ut ne levitate sua extra se vagetur, sed intus in seipsum reflectat, vanitatem apparentium bonorum intelligat, veraque mala deplorare discat. Hinc idem laudatus scriptor [1]: «Vtilius est saepe et securius, quod homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundum carnem praecipue.» Divinis enim, consolationibus destituimur, ex eo, quod contritionem cordis non quaerimus, neque consolationibus terrenis sincere renuntiamus. II. Per poenitentiam corporalem, qua doloribus et asperitatibus corpus affligitur; maximopere enim iuvatur anima, ut deploret peccati culpam, dum corpus sentit peccati poenam. De quo sic auctor idem [2]. «Si futuras inferni, sive purgatorii, poenas cordialiter perpenderes, credo quod libenter laborem et dolorem sustineres, et nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor ista non transeunt, et blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi et valde pigri remanemus.» III. Cordis denique levitati directe oppo-

1 Lib. I, c. xxi, n. 3.
2 Ibid. n. 5.

nitur, id quod S. P. Ignatius praescribit Additione octava hebdom. primae: «Vt a risu, verbisque risum provocantibus maxime abstineam.» Poenitentiis quidem corporalibus, aliisque rigoribus permittit S. P. in Exercitiis plus et minus, secundum differentiam exercitiorum, et exercitantis dispositionem: sed in hoc consilio suo requirit constantiam, vultque illud omni tempore, et in omnibus exercitiis manuteneri. Spiritus veritatis maxime serius est, et iocorum levitati maxime adversatur; verba enim, risum provocantia, risus mater sunt, risus vero noverca compunctionis.

Tertium, quo cor induratur, consuetudo peccandi est, et veluti lapis sepulcralis spiritui mortuo superpositus. Hic ante omnia tollendus est, si desideramus ut Lazarus noster resurgat. De quo Bernardi ad Papam Eugenium verba aurea audiamus [1]: «Quid non evertit consuetudo? quid non assiduitate duratur? quid non usui cedit? Quantis, quod prae amaritudine prius exhorrebant, usu ipso in dulce conversum est? Audi iustum, quid lamentetur super huiuscemodi [2]: «Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt.» Primum tibi importabile videbatur aliquid; processu temporis si assuescas, iudicabis non adeo grave, paulo post et leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur.» Hactenus Bernardus, obiiciens oculis, quod quotidie agitur in secreto cordis. Vti enim facile est compungi, quando aliquid commissum est, quod intolerabile iudicamus; ita perdifficile, ne dicam impossibile, si id, quod commissum est, censes esse leve, multoque magis, si existimas bonum et delectabile.

1 De consid. l. 1, c. 2.
2 Iob VI, 7.

BIBLIOTH. PRIVATA
P. PRAEP GEN S. J.

Quemadmodum enim consuetudo facit, ut intellectus torpeat ad recte iudicandum, ita eadem efficit, ut sensus piger sit ad dolorem. Quapropter, sicut mensura propositi mensura profectus est, ut supra dicebamus, quantoque propositum perfectius fuerit, tanto leviores in examine defectus deteguntur: ita etiam quanto propositum fuerit fortius, tantum eius violati dolor augebitur; et proponere magna necesse est, si compungi de minoribus volumus; neque permittendum ullatenus, ut consuetudo callum obducat, qui doloris sensum stupefaciat.

Ex dictis patet unde fiat, ut post defectus iam cognitos, saepenumero duritiam ad dolorem et lacrymas experiamur. Occupationum scilicet affluxus abducit nos extra nos, et tristitiam supprimit, quae tamen interius parturit. Prosperitates temporales sensuumque illecebrae inaniter recreant, spiritumque privant culparum libramento, quod compunctio secundum Deum requirit. Consuetudo mentem offuscat, ut non existimemus novum, quod in usu positum est; neque admiremur, quod quotidie oculos subit; neque facti poeniteat, cuius tot exempla occurrunt. Denique compunctionis sanctae affectus non est istiusmodi, ut illam in examine subito comparare possimus ad quamcumque animae dispositionem. Occupationum torrens, ut hoc fiat, sistendus est, qui collectionem spiritus impedit. Castigandum corpus, delectationes sensuum mortificandae, contemnendus blandientis fortunae flatus, ut adversus levitatem cordis, ad doloris sensum hauriendum, iusto pondere animus temperetur. Leges rigidae, propositaque perfecta concipienda sunt, ut cor emollescat, et sentiendi virtutem habeat in defectibus etiam levioribus. Quod si forsitan officii et conditionis necessitas, curis occupationibusque plurimis obstrictos nos teneat, pompam-

que, et fastum mundi requirat, alia hic maiorque difficultas subnascitur. Ea enim etiam tunc libertas cordi providenda est, ut inter negotia otiosum, et in mediis turbis solum sit, et inter blandimenta sensuum, spinae animum fodicantis aculeum persentiscat. Recte alicubi Seneca: Si iuremerito aestimandus est, qui eadem animi aequitate vasis luteis utitur, atque si ex auro argentove conflata forent; non minoris profecto, sed vero pluris etiam faciendum, elatione cordis non maiore vasis aureis uti, quam si lutea essent. Idem in proposito nostro usuvenit. Multum est, applicare serio animum uni negotio interiori, et sepositis caeteris omnibus, huic uni sic intendere, atque si compluribus occupationibus spiritus distineretur; sed non minus est, inter negotia plurima servare animum liberum, et rerum undequaque confluentium curis superiorem, tamque sedulo ad interiora attentum, atque si tantummodo sibi vacaret. Multum est, in solitudine vitare hominum praesentiam et affatum; sed non minus, inter medios occursantium strepitus, his non abripi, sed solitudinem cordis constanter tueri. Multum est, renuntiare gustui, sensuumque irritamentis; sed non minus, inter illa non deviare, neque abscedere a lacrymis et dolore, servareque compunctionem. Etenim si prudentia est declinare ignem, ne laedat, excellentissima profecto virtus, imo prodigium est, inter flammas vivere, et non uri. Sicut enim «musica in luctu importuna narratio [1],» sic et luctus importunus in musica, haec enim duo sibi mutuo adversantur. Si igitur virtutis magnae opus censetur, ut revera est, ad proliciendum peccatorum planctum mundi musicam fugere, sonitumque tubae, et fistulae, et citharae, sambucae et psalterii, et symphoniae, et uni-

1 Eccl. XXII, 6.

versi generis musicorum adorantium statuam [1]; non minor profecto virtus est, sed fortasse longe maior, si musicae huius importunitas, quum assidue aures verberat, non exsiccat lacrymas, neque impedit compunctionis dolorem. Non est enimvero quod de assequendo hoc gradu perfectionis desperemus, dummodo ex officii statusque debito, non vero ex levitate cordis, his fluctibus involvamur. Illustre dedit in hoc genere exemplum sanctus rex David, quod egregie ponderat Chrysostomus his verbis [2]: «Si propositum quietis gerat quis, nec in urbis habitatione turbabitur. Sicut et beatus David, qui non solum in urbe positus erat, sed et regni curas sollicita administratione tractabat, et tamen multo ardentior in compunctione erat cordis, quam hi, qui solitudines videntur habitare. Illas enim lacrymas eius, et illos tam uberes fletus, quibus et in die flebat, et in nocte numquam cessabat, vix aliquis habet nunc eorum, qui cum Christo crucifixi videntur. Non enim solum hoc consideres, quod lugebat, et flebat, sed quis erat ille qui flebat, et quid agens lugebat.» Quumque sanctus hic Doctor enarraset compunctionis impedimenta, quae Davidem circumsidebant, negotia regni in pace et bello, rerum omnium abundantiam, et delicias aulae regalis, subiungit: «Sed et illud commemorationem nostram non effugiat, quod tanta cordis compunctio illo tempore etiam in regibus fuit, quo nihil ita magnum et eximium lex tunc posita a cultoribus suis deposcebat. Nostri vero agonis tempus, in quo adscripti videmur, etiam pro risu poenam habet, laudem vero pro luctu, et pro tribulationibus salutem confert. Et tamen ille beatus David, cunctis quae eum circumstare, et con-

1 Daniel. III, 4.
2 De Compunct. l. 2, ante med.

stringere videbantur, abruptis, ita erat in potestate positus, tamquam omnibus esset ipse subiectus, et in solio regali erat ut vinctus in carcere, et in purpura quasi in cilicio iacebat, cinere conspersus, et corde compunctus, aula regalis erat ei tamquam eremi vastissima solitudo.» Hactenus ille, exemplo Regis huius docens, et convincens, defectui ignaviaeque nostrae aeque adscribendum esse utrumque, sive quando nobiscum habitantes, atque intra nos commorantes, diverticula sensuum, et superfluas occupationes admittimus; sive quando curis obligantibus violenter immersi, peccatorum sensu spirituque compunctionis privamur.

Subiiciamus igitur stimulos nobisispis, ad assequendum hunc perfectionis gradum; cor conservemus liberum, inter servitutem negotiorum, eaque inter curas maximas cura sit omnium potior, divinum beneplacitum in omnibus quaerere, et gloriam Dei. «Domine, inquit a Kempis [1], hoc opus est perfecti viri, numquam ab intentione coelestium animum relaxare, et inter multas curas quasi sine cura transire; non more torpentis, sed praerogativa quadam liberae mentis, nulli creaturae inordinata affectione adhaerendo.» Vbi enim residet affectus, ibi sentitur dolor. Quia igitur rebus internis non afficimur, hinc fit, ut desint lacrymae ad damna spiritualia deploranda, et lamenta inutilia temporalium damnorum abundent. De quo queritur idem auctor [2]: «O Domine, inquit, quousque venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quaestu laboratur et curritur, et spirituale detrimentum in oblivionem transit, et vix sero reditur. Quod parum vel nihil prodest, attenditur, et quod summe necessarium est, negligen-

1 Lib. III, c. XXVI, n. 1.
2 Lib. III, c. XLIV, n. 2.

ter praeteritur. Quia totus homo ad externa defluit, et nisi cito resipiscat, libens in exterioribus iacet.» Haec de compunctionis impedimentis sufficiant, ad motiva eius veniamus.

CAPVT VIII

DE MOTIVIS COMPVNCTIONIS ET DOLORIS DE PECCATIS, ET DE PVNCTO QVINTO EXAMINIS

Loquendo generaliter, haec motiva duo sunt. Primum est timoris, ex multitudine et gravitate peccatorum, poenarumque consideratione, et hoc proprium est incipientium. Secundum est amoris, ex desiderio placendi Deo propter se, et propter beneficia ab illo percepta. Amor hic, quum accenditur, erumpit in desideria inflammata visionis divinae, et unionis cum summo bono per nexus indissolubiles aeternae caritatis, atque haec compunctio propria est perfectis. Haec duo motiva, ut Gregorius docet, significata sunt per duo illa altaria, quae Moyses, iubente Domino, coram tabernaculo extruxit [1]. «In tabernaculo foederis duo altaria fieri a Domino iussa sunt, adolendis scilicet thymiamatibus unum, alterum comburendae carni. Primum altare foris erat, secundum intra Sancta Sanctorum. Altare ergo primum compunctio timoris est, altare secundum compunctio amoris. Illud quippe peccata lugentium est, hoc vero aeterna gaudia totis desideriis inhiantium. Illius lapides recogitationes peccatorum, huius lapides meditationes perennium gaudiorum.» Explicatius alibi haec proponit idem S. Pater, additis rationibus et expressionibus, ab experientia fervoreque proprio pro-

1 In caput XIV, XXXV, libri I, Reg.

manantibus [1]. «In multas species, inquit, compunctio dividitur, quando singulae quaeque a poenitentibus culpae planguntur... Principaliter vero compunctionis genera duo sunt: quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. Prius enim sese in lacrymis affligit, quia dum gravitatem malorum suorum recolit, pro his perpeti aeterna supplicia pertimescit. At vero quum longa moeroris anxietate fuerit formido consumpta, quaedam iam de praesumptione veniae securitas nascitur, et in amore coelestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium; postmodum amarissime flere incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens, qui sint illi Angelorum chori, quae ipsa societas beatorum spirituum, quae maiestas aeternae visionis Dei, et amplius plangit, quia a bonis perennibus deest, quam flevit prius quum mala aeterna metuebat. Sicque fit, ut perfecta compunctio formidinis, tradat animum compunctioni dilectionis.» Iuxta hanc doctrinam Gregorii, facilius compunctione tangetur, qui timoris, et amoris usu fuerit magis exercitatus. Dolorem enim culparum facile sentiet, qui damna sua metuit, lucrum suum amat, et super omnia Dei sui obsequium, et gloriam concupiscit.

Notandum vero, compunctionis materiam, quando nascitur ex timore, ordinarie esse peccata, vel praesentia, vel praeterita, quae periculum creant damnationis; itemque culpas veniales, praesertim frequentiores et deliberatas, tum quia poenae purgatorii gravissimae his respondent, tum etiam quia disponunt ad mortale, et consequenter ad damnationem. At in animabus perfectioribus, quando compunctio iam nascitur ex amore, materia ordinaria sunt peccata praeterita, etsi

1 Lib. III. Dial. c. xxxiv.

condonata existimentur, quia semper dolent, Deum his offensum fuisse; item, peccata aliena, tum quia Deum offendunt, tum quia proximo damnum afferunt; item imperfectiones propriae, negligentiaeque praesentes, quia vident non esse se, quod tamen esse desiderant, ad Dei gloriam; item beneficia divina, quibus non responderunt ex debito suo; item exilium huius vitae, quod protrahitur, et coelestis patriae securitas, quae differtur; imo sola cogitatio, fieri adhuc posse ut Deum offendant, et Dilecto suo priventur. Hos, qui statum hunc contigerunt, affligit compungitque magis Dei iactura, quam alios, primum inchoantes, affligat compungatque peccatum ipsum. Ad haec igitur capita reducitur doloris, et compunctionis materia ordinaria, sive illam timor eliciat, sive amor. Timor enim dolorem generat propter periculum damnationis; amor vero Dei et proximi dolere facit de peccatis nostris et alienis, quia Deum dilectum offendunt, et malum gravissimum proximo afferunt; et quia hactenus destituimur virtutum perfectione, quam et divina bonitas meretur, et nos Deo debemus. Dicenda nunc aliqua de ratione, qua motiva compunctionis ex capitibus iam dictis depromenda sint, secundum doctrinam S. Chrysostomi, qui de compunctione fuse scribit in libris super hoc argumento.

Ante omnia, «materia iusti doloris, et internae compunctionis sunt peccata et vitia nostra, quibus ita involuti iacemus, ut raro coelestia contemplari valeamus,» inquit a Kempis [1]. Motivum hoc eleganter prosequitur Chrysostomus, ab exemplo illorum, qui uxorem, maritum, aut liberos defunctos deplorant [2]. «Requiramus, inquit, a lugentibus, istos dico pro charorum suorum

1 Lib. I, c. XXI, n. 4.
2 De Compunct. l. 1, in fine.

amissione lugentes, et in egestate positos, et non qualescumque homines, sed illos ipsos potentes et divites, et in deliciis agentes, qui ventri et voluptati vivunt, qui prandia usque ad vesperam, coenas in medium noctis extendunt, qui aliena diripiunt, et propria profundunt: istos ipsos interrogemus, si quando aut unicum pater filium, aut uxor ereptum cito plorat maritum, quomodo, velut fulmine quodam icta anima, aufugiunt continuo, nec usquam apparent, omnes illae molles et dissolutae deliciae. Nusquam ventris cura aut sollicitudo carnis habetur, sed acerrimae continentiae introducitur philosophia, abstinetur ab omnibus, aguntur extensa ieiunia, iuges vigiliae, humi requiescitur, summum silentium, quies magna, humilitas ultima, mansuetudo ineffabilis, miseratio immensa. Etiamsi auferantur omnia, etiamsi diripiantur, nihil pro his animus curat, nihil movetur; etiamsi igne concrementur universa, et census pariter cum domibus pereat, non indignatur, non irascitur.» Dein post allatas rationes causasque tantae mutationis, sic pergit: «Vna sola cogitatio, unus intuitus, imago defuncti est. Ille vultus ante oculos ponitur, ille aspectus menti atque animo exhibetur, ille ei cibus, ille potus est. Quod si somnus fuerit, somnia inde ducuntur; ibi omnis requies, ibi omne solatium, ibi gloria, ibi divitiae, ibi potentia, ibi omnes deliciae collocantur. Sic oportebat et nos salutem nostram lugere perditam, atque animam nostram mortuam lamentari, ut nihil amplius dicam. Exhibeamus animae nostrae, quod illi exhibent carni alienae. An non extremae miseriae est, ut hi quidem, qui filios aut uxores lugent, ad nihil aliud occupent mentem suam, nisi ut defunctos suos quasi intueantur, et illos semper animo et cogitatione conspiciant? nos vero, quibus salus mortua, et regni coelorum spes extincta est, omnia ma-

gis quam hoc cogitamus.» Hucusque Chrysostomus, ex cuius eloquenti stylo, et similitudine quam proponit, datur colligere, pro meditatione de peccatis compositionem loci peridoneam esse, cernere animam nostram in corpore corruptibili, velut cadaver in sepulcro.

Secundo, motivum iusti doloris etiam sunt peccata, et calamitates proximi, quod nemo negabit, qui aliquo sincerae caritatis affectu tangitur. Liquet hoc ex ipsius Christi exemplo, qui flevit super civitatem Ierusalem, recogitans eius culpas, et earum poenas imminentes. Flevit itidem super Lazarum mortuum, cuius mors corporalis figura erat animae mortuae per peccatum. Et vero certum est eos, qui, luce coelesti illustrati, cognoscunt rerum praesentium vanitatem, et futurarum veritatem, affligi animo, quando vident usque adeo inverti omnia in hoc mundo, tantam esse Dei oblivionem, tantum spiritualium aeternarumque rerum contemptum, tam effraenem possessionum temporalium sitim, dissolutionem tantam in omni genere voluptatum, tantam libertatem peccandi. Audiamus Chrysostomum super hoc, qui has temporum suorum calamitates deplorans, prophetice loquitur de temporibus etiam nostris [1]: «Tantam malorum labem, tantaque videmus quotidie flagitia cumulari, quae si velis considerare per singula, numquam poteris a lacrymis temperare. Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas, nequitia vero et luxuria repleta esse cuncta perspicias. Et quod est infelicius, perurgentium nos malorum iam nec ipsi sensum capimus, nec aliis praebemus, nec alios monemus; sed sumus velut corpus, extrinsecus quidem vestimentis adornatum, intrinsecus vero tabe pessimi languoris ab-

1 De Compunct. l. 1, initio.

sumptum. Et contingit nobis, quod illis solet, qui vel phrenesim patiuntur, vel mente capti sunt; a quibus quum multa turpia et periculosa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamen aliquid, nec poenitudinis capiunt; quinimo et magnifici sibi, ac sapientiores sanis videntur ac sapientibus. Ita et nos, quum omnia quae sanitati contraria sunt, geramus, nec hoc ipsum quidem, quod deest nobis, sanitatem nominamus. At enim, si forte in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecunias profundimus, et omni observantia, quod competit, gerimus; nec prius cessatur, quam quae molesta sunt, mitigentur. Anima vero quum quotidie vulneretur, quum per singula lanietur, uratur, praecipitetur, et modis omnibus pereat, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat. Sed horum omnium causa illa est, quod omnes pariter hic morbus obtinuit. Et tamquam si accidat, multis sub uno morbo languentibus praesto esse neminem sanum, certum est quod omnes pariter corrumpat, et absumat incuria, dum nemo est qui vel opportuna praebeat, vel importuna prohibeat: ita et in nobis, dum nemo sanus est, sed omnes languemus, alii maiore, alii minore ex parte, nemo est qui curet, omnes enim indigent cura.» Plura addit hic Doctor, sed haec sufficiunt, ut liqueat quam uberem doloris, et lacrymarum materiam suppeditet corruptio morum hodierna, Dei oblivio, eiusque mandatorum contemptus. Caecus est, qui hoc non videt, durus, qui non ingemiscit. Ex iisdem vero principiis oritur, non tangi peccatis suis, et non tangi alienis; utrumque enim a levitate cordis provenit. Causam doloris auget, quod culpas insequantur poenae, mundusque omnis, ut peccatis, ita castigationibus plenus sit, neque tamen homines his moventur magis, quam culpis ipsis. «A planta pedis usque ad verticem non est in

eo sanitas,» inquit Isaias: adduntur tamen peccatis peccata nova, quum iam Deus non habeat novas poenas, postquam omni suppliciorum genere nocentes punivit. Quis talia spectans temperet a lacrymis? Omnem profecto humanitatem is exuisset, qui aulam ingrediens afflictis refertam, quorum alios chirurgus ferro candente ustulat, alios pedibus, alios brachiis mutilat, inter omnium eiulatus in risum solus prorumperet: item ille, qui carcerem ingressus, interea dum tortor hos equuleo, hos tormentis aliis afficit, nullum daret compatientis animi signum. Horum similis videtur, qui non discruciatur in hoc mundo, ubi vix reperias aliquem, qui nullam sentiat tribulationem, vel propter affectuum malorum medelam, vel propter exercitium virtutis, vel propter meritorum incrementum. Hinc verissime a Kempis [1]: «Bonus homo sufficientem invenit materiam dolendi et flendi: sive enim se considerat, sive de proximo pensat, scit quia nemo sine tribulatione hic vivit.»

Tristitia de malis alienis a virtute charitatis profluit, quando autem charitas Dei in nobis perfecta est, dolorem insuper excitant culpae propriae, etiam tunc quum praesumimus per Dei misericordiam has remissas extinctasque esse. Neque enim iam affligitur anima propter damnum, quod a peccatis resultat, sed propter Deum a se offensum; et pro mensura amoris et cognitionis, quid mereatur Deus, et quid Deo nos debeamus, augetur huius offensionis dolor et pudor. Longeque abest ut sensus iste imminuatur, ex eo quod speremus peccata remissa esse: vel ex hoc ipso enim tantum incrementi sumit, quanto minor iam subest ratio offendendi, maiorque amandi illum, qui quum in potestate

1 Lib. I, c. XXI, n. 4.

haberet iniuriam sibi illatam vindicare poenis aeternis, tanta bonitate illam condonat. Ita ut, quemadmodum haec divina miseratio beneficiis eius minoribus annumeranda non est, ita etiam fortasse sit ex stimulis fortioribus, qui incitant ad dolorem. Ex quo enim alio fonte prosilire potuit rivus ille lacrymarum, qui ex oculis S. Petri usque ad vitae exitum aeque copiose profluxit, atque si delictum eius adhuc recens fuisset? «Oportebat, inquit Chrysostomus [1], non solum scire et confiteri, quia multa in nobis delicta sunt; verum et unumquodque peccatum, et maius, et minus, quasi in libro, ita in corde habere descriptum, idque frequentius recensere, atque ante oculos ponere, et haec tamquam nuper admissa lugere. Ita enim et animae arrogantiam frangeremus, frequentius eam de malis suis et vitiis commonentes, et cautela nobis, ne ultra in eadem delicta incideremus, acrior nasceretur... Etenim licet reatu absolvamur, peccata tamen priora, si ducantur ante oculos, sufficienter incutere possunt animae verecundiam, et provocare eam ad amorem eius, qui tam multa et tam magna concessit... Oportet ergo recordari nos priora delicta, etiam ea pro quibus veniam consequuti sumus; et intuentes quam ingentem modium debiti nobis remisit Deus, et amplius eum diligere, et verecundiam pudoremque concipere, atque ex his corde compungi.» Ita Chrysostomus, declarans insuper motiva, quibus perfecti ad compunctionem excitantur, etiam de defectibus minimis et quotidianis. Sic enim pergit: «Sufficit enim sanctis et magnis, sicut et vos estis (scribebat haec ad monachos, quorum sanctitatem extollit), ad compunctionem cordis recordari divina beneficia, et operum vestrorum gloriam non vobis ipsis assignare,

1 De Compunct. l. 1, circa fin.

sed Deo. Sufficit, sicubi vel parum aliquid vos latuit, quanto vos magni estis, tanto id, velut a magnis viris commissum, gravius iudicare. Sufficit considerare illorum vitas, qui summam sanctitatis et iustitiae regulam servarunt, et per omnia placuerunt Deo. Sed et naturam peccati cogitare velocem, rapidam, subreptivam; et ob hoc incerta esse quae futura sunt, et valde dubia, et tam periculosa, ut ea etiam magnus ille metuat Paulus. Hoc enim indicat, quum dicit se timere, ne forte quum aliis praedicarit, ipse reprobus fiat.» Et iterum quum ait: «Qui se putat stare, videat ne cadat... Vobis ergo maioribus ista sufficiant; nobis autem cum his adhibenda sunt etiam alia medicamenta fortiora, et quae possunt destruere quidem arrogantiam, inserere vero dolorem cordis, et animi moerorem.»

Ex toto hoc discursu, quem Chrysostomus fere dictavit, sequitur, nullo in statu esse aliquem, dummodo seipsum non negligat, qui non habeat materiam copiosam, motivaque urgentia compunctionis: et in hanc rem ex quolibet capite praedicto, puncta quaedam sive considerationes in promptu habendas esse, quae veluti pondere quodam levitatem vanamque laetitiam supprimant, quae a Chrysostomo «arrogantia» dicitur; unaque sanctam tristitiam, dolorem pium, laetitiam spiritualem ingenerent. Ad hunc modum dispositus, facili modo movebitur ad culparum dolorem; quantoque dolor fuerit maior, tanto firmius erit propositum emendationis, sive ultimum huius exercitii punctum, et examinis fructus praecipuus, utpote sine quo puncta omnia caetera in irritum cadunt. Vt quid enim puncto secundo petitur gratia ad notitiam peccatorum, nisi ut emendentur? Vt quid excutimus puncto tertio cogitationes, verba et opera, per horas singulas, nisi ad hoc ipsum? Vt quid puncto quarto de peccatis dolemus serio et cor-

date, nisi ut peccata non redeant? Memoria vero beneficiorum divinorum et gratiarum actio, quam adhibemus puncto primo, huc spectat, ut collata cum his beneficiis immensis ingratitudine nostra, dolor augeatur; dolor autem verus non est, nisi propositum emendationis annexum habeat, quo nos deducit punctum quintum. Quis enim vere dolet, qui doloris obiectum non statuit repudiare posthac? Patet igitur, priora puncta quatuor referri ad quintum, veluti ad Examinis animam, sine quo caetera vitam non habent. Atque ut loquamur generaliter, fructus praecipuus quem in Exercitiis suis S. P. intendit, in propositis, sive actibus voluntatis, situs est: et similiter fructus totus Examinis, qui sane permagnus est, in dolore et proposito emendationis consistit. Dolor, si est verus, causa propositi est; et propositum, si est solidum, probat veritatem doloris. Hinc Chrysostomus emendationem vitae omnem, morumque reformationem, compunctioni adscribit; compunctioni, inquam, quae et dolorem involvit, et propositum. Sic enim ait [1]: «Sola est cordis compunctio, quae facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum. Sola est, inquam, compunctio, quae, sicut ignis, omne animae vitium perurit et adimit, et quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, et penitus delet. Concupiscentiarum flammas, si invenerit, ut fluvius inundans extinguit, et enecat; curarum multitudines et perturbationes, si videat, velut flagello quodam exturbat, et effugat, et procul esse a domiciliis animae iubet. Ac sicut pulvis non potest stare ante faciem venti, ita nihil malarum cogitationum in anima residere potest, ubi compunctio cordis adfuerit.» Et deinde [2]: «Haec igitur causa est, quod malis addimus

1 De Compunct. l. 2, ante med.
2 Ibid. circa fin.

mala, dum priorum memoria non permanet, nec dolor aliquis inuritur pro conscientia delicti... Et sic consuetudine contemnendi, dum de praeteritis dolor nullus est, facilius supervenientibus malis locum damus. Quod si omnis ex anima stimulus auferatur, et cuncta ei securitatis fraena laxentur, quis eam post haec tenebit, aut quis eam de praecipitiis revocabit? Quid prohibet, ubi nihil metuitur, ubi nihil verecundiae, nihil pudoris admittitur, ut non in omnes perditionis foveas demergatur? Pro his ergo lugent Sancti, et gemitus suos conferunt in conspectu Dei.» Sic ille.

Notandum hic etiam, ad punctum quintum, sive propositum emendationis, pertinere res duas. I. Curandum est ut cognoscamus, tum radices culparum internarum, ut evellantur, tum etiam illarum occasiones, si exteriores aliquae sunt, ut tollantur; ab his enim pendet effectus emendationis, quam proponimus. Qua ratione culparum radix dignosci possit, dicetur infra ubi de Examine particulari. Certum enim est unumquemque, secundum naturae suae propensionem et consuetudines, vitiosis quibusdam affectibus subiacere, ex quibus veluti radicibus caeteri defectus pullulant. Certum est similiter, occasiones quasdam externas non raro occurrere, in quibus quisque experitur se vel cespitare, vel cadere; proponenti autem emendationem, incumbit in occasiones istas inquirere, sibique illarum fugam indicere. Quem enim usque adeo hebetem reperias, qui quum identidem cespitat vel cadit, quoties domo egreditur, non attendat ad huius infortunii causam? Quis non adhibet oculos et manus, ut illam amoveat? II. Ad hoc propositum spectat etiam afflictio corporis quaedam, quae serium emendationis propositum comitetur. Hanc admirabilis omnino virtutis esse, sentient recidivi.

Denique observationem meretur, quam mira sit Examinis utriusque, tam generalis quam particularis, conspiratio. Vbi enim alterum desinit, alterum incipit, ut emendationem perfectam, quam intendimus, consequamur. Generale enim incipit ab inquisitione, et desinit in proposito. Particulare vero incipit a proposito, quia mane, primo tempore, circa obiectum suum proponit; meridie vero et vesperi, secundo tertioque temporibus, inquirit in defectus adversus propositum commissos, ut hoc firmius firmiusque servetur. Ex quo colligitur, modum ordinemque horum examinum postulare, ut generale praecedat, et particulare subsequatur. Inquirendum enim prius in defectus omnes cum proposito emendationis, et dein seligendus defectus particularis, quem veluti caput et radicem caeterorum esse comperimus, ut circa hunc concipiatur propositum speciale, quod per inquisitionem multiplicem roboretur. Hoc quum ita sit, cur tamen S. Pater in libello Exercitiorum examen particulare generali praemiserit, dicetur ubi de proposito examinis particularis. Nunc a forma examinis generalis ad eiusdem materiam transeamus.

CAPVT IX

DE MATERIA EXAMINIS GENERALIS QVOTIDIANI, DEQVE DOCTRINA S. P. N. CIRCA HANC MATERIAM

Materiam dicimus, quidquid hic examinandum venit: omnes scilicet actiones liberas et humanas, bonitatis et malitiae, meriti et demeriti, praemii et poenae capaces. Excutiendae enim sunt actiones omnes, sive bonae sint, sive malae. Malas excutimus, ad correctionem, et dolorem; bonas autem, ad gratiarum actionem, ad bonitatis accretionem, ad macularum quarumdam ab-

stersionem, quae plerumque se ingerunt. «Verebar omnia opera mea,» inquit Iob [1], «sciens quod non parceres delinquenti.» Tot ac tanta praeclara opera Iob peragebat quotidie, quae Gregorius ad hunc textum enumerat [2]: «Quid ergo, inquit, vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est, quod mira opera faciens, haec ipsa etiam veretur pavens, cum dicit; «Verebar omnia opera mea?» Nisi quod in sancti viri actibus verbisque colligimus, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus.» Sed quoniam examen bonorum operum solummodo instituitur, ut dispiciamus, an illa omni vacent malitia, dici potest ex vero, hoc exercitium non aliud continere, quam inquisitionem in culpas. De inquisitionis huius materia fusius disserit S. Pater in principio sui libelli. Textum eius hic damus.

EXAMEN CONSCIENTIAE GENERALE

AD PVRGATIONEM ANIMAE, ET AD PECCATORVM CONFESSIONEM VTILISSIMVM

Pro comperto ponitur, triplex incidere homini cogitationum genus: unum ex proprio surgens motu ipsius hominis; reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet vel mali spiritus suggestione.

DE COGITATIONE

Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est. Primo, quando suggeritur de patrando mortali crimine co-

1 Iob, IX, 28.
2 IX Moral. 25.

gitatio, sed ea confestim repugnando vincitur. Secundo, quando pravae istiusmodi suggestioni, semel ac iterum repulsae, et subinde nihilominus revertenti, continue resistit homo, donec penitus expugnetur; quod quidem victoriae genus merito alterum antecellit.

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur, vel in ea retundenda se exhibet negligentem. Mortale vero peccatum per cogitationem duobus modis admittitur. Primo, quando cogitationi peccati praebetur quacumque ratione assensus. Secundo, quando peccatum illud opere completur, idque gravius est priore, ex tribus causis: videlicet, ob maiorem temporis decursum, ob actum intensiorem, et ob plurium denique offendiculum sive detrimentum.

DE LOQVELA

Verbo etiam multifariam offenditur Deus, ut in blasphemia, iuramento. Nam iurandum non est, neque per Creatorem, neque per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus, veritate, necessitate, ac reverentia. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quae circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non levis. Reverentiam dicimus, quando assumens divinum nomen adhibet considerationem, ut Deo Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet iuramentum temere seu vane factum per Creatorem, sit gravius peccatum, quam per creaturam, difficilius tamen esse per hanc, quam per illum, licite iurare, servatis debitis circumstantiis, quas diximus. Primo, quia in mentione crea-

turae facienda per iuramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac necessitate iuremus, sicut nominato rerum omnium Creatore. Secundo, eo quod ad honorem Deo exhibendum cum reverentia, longe debilius movemur ex commemoratione creaturae, quam ipsius Dei Creatoris. Quamobrem iurare per creaturas, perfectis magis conceditur, quam crassioribus sive idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, et illustratione intellectus, considerant propius, atque deprehendunt Deum, secundum essentiam, praesentiam, et potentiam suam, creaturae cuilibet inesse: unde ad praestandam illi debitam in iuramento reverentiam, paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt. Tertio, quia creaturis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriae: id quod imperfectis magis, quam perfectis, fuerit timendum.

Vitandum est insuper verbum otiosum, (inter alia loquutionis peccata), quale esse intelligitur, quodcumque nec loquenti, nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur, ut afferat utilitatem. E converso vero, minime otiosum censendum est verbum illud, quodcumque ad animae, vel propriae, vel alienae, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet, aut certe ad tale quidpiam ex dicentis mente dirigitur: etiamsi quis de negotiis loquatur, ab instituto suo alienis, ut religiosus de bellis, vel mercimoniis. Caeterum ex sermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit: ad malum vero finem, aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

Sunt et oris peccata, mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri, nec obmurmurandum; revelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi

damno famae alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale solum. Ad haec quotiescumque alienum patefacimus vitium vel defectum, nostrum ipsorum vitium ac defectum simul commonstramus. Verumtamen, ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primo, quando publicum est, ut meretricium, vel damnatum in iudicio, vel perniciosum, puta, ob errorem publicum, animos conversantium corrumpentem.

Secundo, quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem ille relevari a peccato possit: dummodo rei huius probabilis aliqua ratio, vel coniectura offeratur.

Possent inter oris peccata, irrisiones, contumeliae, et alia id genus adscribi, quae persequi licebit tradenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit.

DE OPERE

Propositis ante oculos decem mandatis Dei, cum Ecclesiae praeceptis, et iussis Maiorum seu Superiorum, aestimandum est, quidquid fit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse: levius aut gravius tamen, pro inaequali peccandi modo, et pro diversa peccantium habitudine. Porro reduci ad iussa ducimus Superiorum, diplomata seu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, concedi atque promulgari solita, per quae ad Confessionem peccatorum, et Eucharistiae sanctae sumptionem, Christi fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiae cohortationes, sanctionesque aspernari audet, ac transgredi.

CAPVT X

DECLARATVR TEXTVS EXERCITIORVM CAPITE PRAECEDENTI ALLATVS

Verbis iam memoratis reducit S. Pater actiones nostras omnes ad tria capita: nimirum, ad cogitationes, verba et opera. Culpas operum reducit itidem ad capita tria. I. Ad mandata Dei. II. Ad praecepta Ecclesiae. III. Ad iussa Maiorum seu Superiorum. «Quia aestimandum est, quidquid fit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse: levius aut gravius tamen, pro inaequali peccandi modo.» Et quum dubitari possit, an per iussa Superiorum intelligeret aliquid distinctum a praeceptis Ecclesiae, declarat per haec iussa intelligi «diplomata seu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, concedi atque promulgari solita, per quae ad Confessionum peccatorum, et Eucharistiae sanctae sumptionem, Christi fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiae cohortationes, sanctionesque aspernari audet, ac transgredi.» Vbi non tantum pietas, sed et cautela prudentiaque S. Patris apparet. Supponendo enim tamquam indubitatum, adimplenda esse Ecclesiae et superiorum eius praecepta, extendit doctrinam suam ad observationem eorum, quae ab his superioribus ordinantur. Opponendo se hac ratione errori haereticorum, qui temporibus illis exurgebat, quando hi vilipendebant diplomata Pontificia, Bullas Cruciatae, et indulgentias. Insigni porro prudentia id agit. Neque enim statuit peccatum esse, si non adimpleantur haec decreta superiorum, sicut peccaret is, qui non adimpleret superiorum ecclesiasticorum praecepta; sed hunc

ait peccare non leviter, «quicumque tam pias Rectorum Ecclesiae cohortationes aspernari audet:» efficiendo scilicet, ut fideles ab eorum legibus, et institutis avertantur, unde scandalum damnumque sequatur, praesertim in simplicioribus, et superiorum haec ordinantium auctoritas imminuatur. Eodem spiritu loquitur in regulis suis «Vt cum orthodoxa Ecclesia vere sentiamus,» ubi veluti declarans hunc textum, regula nona, sic ait: «Confirmare omnia Ecclesiae praecepta, nec impugnare ullo modo: sed contra impugnantes, quaesitis undique rationibus, defendere.» De iussis superiorum, quae praecepta non sunt, sic expressius regula decima: «Patrum etiam seu superiorum decreta, mandata, traditiones, ritus, et mores studiose probare,» illos scilicet mores, quos hi superiores introduxerunt. Et quoniam plures male sentiendi et loquendi de his decretis occasionem sumunt ab excessibus, imprudentia nonnullorum, specie avaritiae et ambitionis, aliisque defectibus, qui ex decretis et ritibus illis quandoque oriuntur, declarat S. Pater ibidem in quo adversus haec decreta peccetur. Non in eo quod iussa illa non adimpleantur, quum nullum habeant adiunctum praeceptum: sed, ut ait, in eo quod superioribus obtrectetur, maius bonum impediatur, perturbetur populus, et adversus superiores suos exasperetur. Sic enim pergit: «Licet autem non reperiatur ubique ea, quae deberet esse, morum integritas, si quis tamen, vel in publica concione, vel in populari commercio, ipsis obloquitur, generat potius damna et scandala, quam aliquid afferat remedii, vel utilitatis: quum nihil aliud sequatur, nisi exasperatio, et obtrectatio populi adversus principes, ac pastores suos.» Ne tamen velle videatur, ut ad hos defectus taceatur, et illorum emendationi porta obseretur, viam aperit planam, qua defectibus occurri possit;

scilicet, ut ad hos deferantur, in quorum potestate sit afferre remedium. «Sicut, inquit, damnosum est, primates suos absentes apud populum allatrare, atque proscindere; ita rursus privatim admonere eos, qui, si velint, mederi huic malo possunt, operae pretium videtur fore.» Haec attulimus, ut sciatur, qua ratione circa iussa superiorum examen instituendum sit.

In examine verborum notat S. Pater praecipue tria culparum genera. I. Iuramenta. II. Verba otiosa. III. Detractiones, sive obmurmurationes. Circa iuramentum supponit primo, iurari posse per Creatorem, et iurari posse per creaturam. At quum per creaturam fit iuramentum, non consideratur creatura per se, (hoc enim esset idololatria quaedam, et creaturae deferre honorem, qui soli Deo debetur, ut nimirum in testem veritatis is invocetur solus, qui solus veritas infallibilis est, et neque fallere potest, neque falli); sed in hoc iuramento consideratur ipse Creator, qui in creatura sua est, et per excellentiam aliquam in illa relucet. Hinc dicebat Christus [1]: «Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis: neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.» Docet igitur Christus, quod is qui iurat per creaturam, revera iuret per Creatorem, qui hac vel ista ratione in illa creatura est. Creator enim in coelo est, tamquam in throno: in terra, tamquam in scabello pedum: in Ierosolyma, tamquam in civitate regia: in capite humano, tamquam dominus, sine quo nec unius capilli color mutari potest. Propterea dicit S. Pater: «Iurare per creaturas, perfectis magis conceditur,

1 Matth. v, 34.

quam crassioribus, sive idiotis, quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, et illustratione intellectus, considerant propius, atque deprehendunt Deum secundum essentiam, praesentiam, et potentiam suam creaturae cuilibet inesse: unde ad praestandam illi debitam in iuramento reverentiam, paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt.» Patet igitur iurantem unumquemque invocare Deum in testem, etsi in iuramento nominetur creatura. Supponit S. Pater secundo. «Iurandum non esse, neque per Creatorem, neque per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus, veritate, necessitate, ac reverentia,» quas conditiones theologi requirunt communiter. Conditionem primam de veritate non declarat, utpote evidentem nullinsque interpretationis indigam. Conditionem necessitatis declarat hoc modo: «Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quae circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non levis.» Quod sic accipiendum est, ut non tantum res, quae iuratur, in aliquo genere bonorum memoratorum, hoc est, animae, corporis, aut fortunarum, sit momenti non levis; verum etiam ex momento non levi ad iurandum impellamur, vel ad bonum non leve conservandum, vel ad malum contrarium declinandum. Conditionem reverentiae declarat sic: «Reverentiam dicimus, quando assumens divinum nomen adhibet considerationem, ut Deo Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.» Ex his consequitur, iuramentum licitum et laudabile semper esse, et verum, et necessarium, et reverens. Defectu veritatis, falsum est; defectu necessitatis, temerarium; defectu reverentiae, Maiestati divinae iniuriosum.

Misso iuramento falso, quod semper culpam gravem involvit, circa duas alias conditiones, duo asserit S. Pa-

ter. I. Si iurandum est, facilius cum veritate, necessitate et reverentia iuratur per Creatorem, difficilius «servatis debitis circumstantiis» per creaturam. II. Si iuramentum temerarium est, et absque necessitate, gravius peccatur iurando «per Creatorem, quam per creaturam.» Vtriusque axiomatis eadem ratio est. Quia «sicut nominato rerum omnium creatore» magis reddimur attenti, ut cum veritate, et necessitate iuremus, faciliusque ad reverentiam excitamur, quam «in mentione creaturae,» sic maior culpa est, temere et sine reverentia iurare, nominato Creatore, quoniam arguit maiorem inadvertentiam, et despectum; et minor culpa est, temere et sine reverentia iurare per creaturam, quia minor irreverentia committitur, ubi minus attenditur ad Creatorem. Quantoque difficilius est, nominata creatura, servare debitam attentionem et reverentiam Creatori, tanto iuramentum «perfectis magis conceditur, quam crassioribus sive idiotis.» Perfecti enim in omnibus creaturis, et quaerunt, et inveniunt Creatorem; imperfecti autem, dum assuescunt iurare per creaturas, neque Creatorem considerant intime illis praesentem, periculum incurrere possunt cogitandi, creaturam se invocare, tamquam veritatis pronuntiatae testem per se infallibilem, atque adeo hunc dare honorem creaturae, qui soli Deo debetur. «Quia, inquit, creaturis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriae: id quod imperfectis magis, quam perfectis, fuerit timendum.» Haec sunt, quae tradit de iuramentis.

Quod attinet ad verba otiosa, non videtur clarius breviusque exponi posse, quodnam sit, et in quo consistat hoc vitium, quam textus ipse proponit. Vt verbum sit otiosum, duo, inquit, requiruntur. I. Vt neque mihi, neque alteri, utile sit. II. Vt non proferatur ad

afferendam utilitatem, vel propriam, vel alienam. Itaque, si verbum utile est, vel eo animo profertur, ut afferat utilitatem, otiosum non est. Sequitur, verba plurima per se inutilia, sed tamen animo afferendi aliquam utilitatem prolata, non esse otiosa. Eius generis sunt. I. Verba conversationis ad honestam moderatamque recreationem tendentia, haec enim ad utilitatem «corporis» referuntur. II. Verba urbanitatis et affabilitatis, ut illorum, quibuscum agimus, affectum lucremur: quae «ad animae vel propriae, vel alienae, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis, commodum pertinent.» III. Quum tractamus materiam, quae a statu, quem profitemur, aliena videtur; ut si loquatur «religiosus de bellis, vel mercimoniis.» In hac doctrina fundatur industria, quam S. P. N. alibi operariis nostris commendat; ut nimirum, hi qui agunt cum proximis, sermonem incipiant a rebus, ad hos pertinentibus, et in rebus suis, id est spiritualibus, eumdem concludant. Supponit enim, appetitum et intentionem nostram a gustu saecularium differre; propterea conversationem cum illis ita quidem temperandam esse, ut hos nobis benevolos reddamus, sic tamen, ut ad intentum nostrum devolvamur. Etenim, si non aliud, quam amicitiae humanae lucrum, hinc subsequatur, vani efficimur, ut illi sunt.

Tertium verborum genus, detractiones, verbaque proximum laedentia, complectitur. Etsi autem huius loci non sit, damna persequi, quae tam religiosis, quam saecularibus familiis, detractionis vitium affert, ut instruamur in conscientiae discutiendae modo; leviter tamen, unam ex praecipuis rationibus S. Pater tangit, quae ingenerare possit vitii huius horrorem. Quia scilicet detrahendo, non minus defectum proprium, quam alienum detegimus. Quid dico detegimus? Imo vero de-

trahens, et committit culpam, et simul patefacit. «Revelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno famae alterius, mortale itidem peccatum committitur, veniali autem, veniale solum.» Ita ut detractor impleat illud Pauli [1]: «In quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quae iudicas.» Fundatur haec doctrina in eo, quod ordinarie contingit, detecto alterius peccato gravi, graviter laedi famam eius ; revelato autem veniali, vel non infamari illum, vel tantum leviter. Caeterum, si in rigore loquamur, detractionis gravitas non desumitur a gravitate peccati revelati, neque eius levitas ex levitate peccati, quod detegitur; sed vel a gravitate vulneris, quod alienae famae honorique infligitur, vel ab intentionis nostrae malitia, qua volumus famam alienam graviter laedere. Vtroque enim hoc modo committitur peccatum mortale, ut observat S. Pater quum ait: «Revelato mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno famae alterius, mortale itidem peccatum committitur.» Hoc est, peccatur graviter, tum quando proximi peccatum mortale occultum cum mala intentione panditur, tum quando ex revelato defectu qualicumque, damnum grave alterius famae infertur. Contingit enim, ex revelatione defectus secreti naturalis, aut moralis, sed innoxii, vel tantum venialis, grave proximo damnum inferri: sicut e contrario non inferri damnum grave ex defectu coram Deo gravi, et mortali, sed coram hominibus tali, ut quantumvis reveletur, in personis quibusdam, non laedat graviter famam. Sed tamen secundum regulam generalem, infamia sequitur culpam, maiorque culpa quum revelatur, maiorem infamiam parit.

1 Rom. II, 1.

Addit S. Pater quando intentio recta est, duplici modo licitum esse, delictum vel defectum proximi prodere. Rectam porro intelligit, non eam quae aversatur proximi damnum, sed quae praeterea eius utilitatem spectat. Si enim nulla speretur utilitas, verba nostra, ut minus, otiosa sunt, quumque circa proximi defectum versentur, numquam non inferent aliquod damnum. Calore enim conversationis, exaggerantur peccata levia, secreta revelantur, publica ampliantur, oblitorum memoria reviviscit, foetor oritur ad camarinae istius motionem, nemoque amat obiectum fieri discursuum huiuscemodi, et cuivis bono ingratum est defectus aliorum observari oculis, linguaque propalari. Non potest ergo haec intentio esse recta, nisi ex retecto defectu speretur maior utilitas, sive eorum, qui rem audiunt, sive eius, cuius defectus aperitur. Duobus igitur modis cum intentione recta de peccato vel defectu alterius loqui licet. I. Ob utilitatem audientium, v. gr. ad instructionem, admonitionem, precautionem, ne in aliquid simile incurrant, consolationem eorumdem si incurrerint, exhortationem, ut orationibus iuvent illum qui cecidit, aut alium finem eiusmodi. Vt autem ad audientium utilitatem, de peccato proximi sermonem liceat instituere, necesse est delictum illud esse publicum et notorium. Delictum vero in hac materia triplici modo publicum dici potest. Primo, quando ipso facto notorium est, ut publice « meretricium. » Secundo, quando iure notorium est, ut «damnatum esse in iudicio.» Tertio, quando vel detrahens intendit inferre alii damnum, vel delictum ex natura sua tale est, ut merito timeatur ne serpat, et inficiat caeteros. Tale enim delictum ex natura sua tendit ad notitiam omnium, pro mensura qua detegitur; neque per revelationem eius affertur famae proximi detrimentum, quod quidem ali-

cuius momenti sit, ex eo quod delictum illud paulo citius innotescat; quoniam id revelatur, quod paulo post non absque damno publico revelandum erat, ut «error publicus animos conversantium corrumpens.» Si nullo praedictorum modo peccatum sit publicum, non licebit manifestare; neque enim licet nocere famae unius, ad utilitatem aliorum, quibus ex delicto illo timeri damnum non potest, quum occultum sit: neque etiam licet hac ratione prodesse proximo, si fortassis utilitatem aliquam haec notitia afferre posset. Sicut enim recte instituitur anatomia cadaveris ad utilitatem viventium, revelatis secretis quae natura ipsa occuluit, et quibus ante inspectis non potuisset homo ille animam servare; proptereaque culpa gravis fuisset, etiam ad restituendam infirmo alteri sanitatem, scrutari viscera hominis vivi, illumque interimere, ad recuperandam salutem viventis; eadem prorsus ratione is, cuius honor interiit ob culpae publicitatem, vel ob intentionem pravam inferendi aliis damnum, honoris iure privatus est, ac veluti cadaver, ad instructionem et precautionem vivorum, per culparum istarum anatomiam sive revelationem, aliorum oculis obiici potest. Hoc vero neutiquam licet cum illis, quibus fama integra est; neque enim mortui sunt, sed vivunt ad plurima, quae concernunt Dei republicaeque obsequium, ad quae redduntur inidonei, quorum honor periit. Horum ergo vulnera, etiam gravissima periculique plena, saepissime curantur, quando secreti velo obtecta sunt; quae desperata et incurabilia fiunt, si delinquentes honoris sui integritate spolientur. Non licet igitur delictum secretum unius aperire, ut inde alter instruatur, aut excitetur ad bonum. Aliud foret, si ageretur de utilitate et correctione, non illorum qui audiunt, sed illiusmet qui deliquit, tunc enim aliquando in sermonem deduci potest

eius delictum, etiam occultum. Et hic est modus alter, quo de peccato vel defectu alterius loqui licet. Si enim medicis corporalibus saepius aperiuntur morbi secreti, et valde erubescendi, eatenus cedendo honori, ut nimirum morbis illis hi medeantur; quanto magis medicis spiritualibus hoc fidendum est, per quos maiorum malorum remedium speratur, et quibus securius integritas honoris committitur. Verum neque inconsiderate, neque leviter, hoc agendum est; sed innitendum rationibus bonis, et valde probabilibus coniecturis, fore ut persona, cui delictum revelatur, et possit, et velit delinquentem iuvare. Tum vero utiliter ad hoc adlaboraturus est, quando et servabit secretum, et notitiam hanc ad utilitatem, non vero ad damnum delinquentis adhibuerit, et quando sperata utilitas maior est, quam damnum ex revelatione delicti. Totum hoc vult S. Pater his verbis: «Quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem ille relevari a peccato possit: dummodo rei huius probabilis aliqua ratio, vel coniectura offeratur.»

CAPVT XI

DE EXAMINE COGITATIONVM

Ad cogitationum examen veniamus, de quibus S. Pater primo loco agit, nos autem, mutato ordine maioris claritatis causa, postremo. Ante omnia notandum est, examen hoc, ut ex una parte momenti et utilitatis magnae, ita ex altera, et difficile, et obscurum esse. Obscurum quidem, quia circa actus internos, et occultos versatur, qui sub sensum non cadunt, quemadmodum generaliter cadunt verba et opera; difficile vero, quia cogitationes non subduntur imperio voluntatis,

sicut verba et opera. Hic enim absolute imperamus, et sive ore loquimur, sive manibus caeterisque corporis membris operamur, voluntatis arbitrio sine mora et perfecte paretur. At non sic obediunt cogitationes, motusque affectuum interni, sed quotidie experimur, ab his nos abripi quo non volumus. Hinc igitur nascuntur dubia, an adfuerit plena deliberatio, an sufficiens advertentia, an consensus fuerit liber, an res steterit in motu primo, solaque illusione intellectus, an et quousque traxerit voluntatem. Ex his dubitationibus oritur scrupulorum, et inquietudinum fons et origo, qui numquam exsiccatur, neque dumtaxat pacem animo eripit, sed ratiocinationem submergit, efficitque ut cogitationum discussio penitus evertatur. Patet igitur hoc examen, et difficile, et obscurum esse; sed si debite instituatur, momenti sane permagni, et utilitatis eximiae est. Sicut enim prima divinae lucis scintilla, quam dicimus gratiam excitantem, cadit in intellectum, ut moveat ad bonum; sic etiam prima infernalium flammarum scintilla, in eumdem intellectum cadit, ut moveat ad malum. «Vnusquisque, inquit Iacobus [1], «tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum.» Propterea dixit Salvator [2]: «De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae.» Vbi, si recte rem inspicimus, omnia genera peccatorum enumerat, tam cogitationum, quam verborum et operum, omniaque ait de corde exire. Primo autem loco nominat cogitationes malas, tamquam fomitem, qui peccatis omnibus communis sit. Neque enim ad concipiendam particu-

1 Iacob. I, 14.
2 Matth. XV, 19.

lam ignis etiam minimam, fomes ullus adeo dispositus est, quam cogitatio cordis ut concipiat desideria, sive bona, sive mala.

Ex dictis patet, quanti momenti sit notitia discutiendarum cogitationum et motuum internorum, et consequenter quanti referat facilitatem et dexteritatem nancisci, ut has recte ordinemus. Quum enim cogitationes ex una parte sint rebelles imperio voluntatis, et ex altera incentivum boni et mali, fons et origo libertatis, proindeque basis totius bonitatis et malitiae actuum externorum; in uno eodemque homine, ad instar horologii, duobus motibus agimur. In horologio etenim motus duo sunt: externus unus, qui per indicem signat horas, liquideque apparet; alter internus et reconditus, qui agitat rotas, et a cuius directione bona pendet motus bene ordinatus, qui foris se prodit. Similiter sunt in homine actiones externae, apertae et manifestae, ut verba et opera, quorum examen facile est, ut deprehendatur illorum bonitas et malitia; verum intra hominem latet huius horologii machina potissima et artificium, rotaeque cogitationum et consensuum occultantur, per quas gubernantur actiones omnes externae. Hinc qui desiderat exteriores actiones recte disponere, curam omnem collocet necesse est, ut recte ordinet cogitationes et affectus, intus latentes.

Ex his patebit responsio ad quaestionem, quae circa textum et verba S. Patris hic moveri posset. Cur scilicet, agendo de examine verborum et operum, exempla attulerit materiarum particularium: agendo vero de examine cogitationum, nullam tetigerit materiam in particulari. Circa verba enim instructiones attulit speciales, de iuramentis, de verbis otiosis, de detractionibus; circa opera, de decem mandatis Dei, de praeceptis Ecclesiae, de iussibus superiorum. De cogitationi-

bus autem proponit dumtaxat generaliter puncta duo: I. Ex quibus principiis cogitationes oriri soleant. II. Quot modis inde eliciatur meritum, vel peccatum, absque eo quod attingat materiam aliquam particularem. Huius diversitatis rationem et causam aliquam esse oportet, etenim S. Pater hic intendit instructionem dare ad instituendum examen generale, in quo mortalia a venialibus distingui debent. At vero, secundum omnes theologos, potest esse culpa maior, vel minor; mortalis, vel venialis, tum ratione materiae, tum etiam ratione deliberationis, plenaeque libertatis, quae dependet ab advertentia intellectus, et consensu voluntatis. Cognoscere autem, quando sit peccatum nec ne, quando sit mortale, vel veniale ex parte materiae, res difficillima est, quaeque huius loci non erat, sed plures studiorum annos requirit, et pertinet ad summistas, atque professores Theologiae moralis, qui materiam virtutum, mandataque Dei et Ecclesiae pertractant, disputantque, quando, et in quo gradu unumquodque praeceptum obliget. Dum igitur S. Pater de verbis agens, affert iuramenta, verba otiosa et detractiones, non aliud agit, quam afferre exemplum doctrinae suae, ut alias assolet, idque in materiis magis obviis minusque intricatis; quamquam aliae materiae non desint, in quibus et examinare, et dein etiam accusare quilibet sese debeat, secundum statum et officium. Propterea in textu latino additum est: «Possent inter oris peccata, irrisiones, contumeliae, et alia id genus adscribi: quae persequi licebit tradenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit.» Haec ex parte materiae.

Alterum caput, unde pendet peccatum vel non peccatum, grave vel leve, est deliberatio nostri consensus. Atque hic nos docet, et assignat S. Pater regulas idoneas, sed absque exemplo. Quoniam enim generales

sunt, et materiis omnibus aeque conveniunt, non aliud hic necessarium fuit, quam instruere, quomodo circa hanc materiam, supposito quod vetita sit, intellectus habere se debeat, et quomodo instituendum examen; quando victores, et quando victi simus; quando leviter icti, et quando occisi. De his, ut dictum est, duo puncta proponit. I. Vnde cogitationes incidere soleant. II. Quot modis hic possimus peccare, et promereri.

Ad punctum primum sic loquitur: «Pro comperto ponitur, triplex incidere homini cogitationum genus; unum ex proprio surgens motu ipsius hominis, reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet, vel mali spiritus suggestione.» Haec doctrina fundamentum est Regularum Discretionis; supposito enim quod incidant homini cogitationes aliquae a spiritu bono, aliquae a spiritu malo, sequitur regulas dandas esse, ut hi spiritus internoscantur, et secundum quas possimus spiritus boni inspirationes admittere, mali repellere. Etsi haec materia locum proprium postulet, dicendum hic tamen aliquid, quod ad propositum nostrum facit, et ad declarationem verborum huic examini insertorum. Notandum vero, non agi hic de principio physico, sive causa efficiente cogitationis nostrae; neque enim alia haec esse potest, quam intellectus. Quomodo enim anima cogitare possit sine opera intellectus? Aut quomodo desiderare sine opera voluntatis? In hoc igitur sensu dicendum necessario, cogitationes omnes, quae nobis incidunt, nostras esse. Quando ergo dicimus aliquas cogitationes extrinsecus advenire, agimus de causa movente, et exstimulante ut illas admittamus, quaeque intellectui nostro has quasi iniicit. Alia enim cogitatio est, quam mihi ipsi ex discursu proprio fabrico, alia quam quispiam alius proponit, etsi et hanc, et illam percipiam ipsemet. Hoc eodem modo solent ho-

mines dicere inter se : ratio ista quam affers, tua non est, sed Sempronii ; etsi enim ea huius sit, qui illam eloquitur, non dicitur tamen huius esse, quia alius intellectui orique eius illam impressit. Hoc sensu quum intraret ad Davidem mulier Thecuitis, ut pro Absalone intercederet, interrogata an a se, vel a Ioab, ista proferret, respondit [1]: «Per salutem animae tuae, Domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quae loquutus est Dominus meus rex: servus enim tuus Ioab, ipse praecepit mihi, et ipse posuit in os ancillae tuae omnia verba haec.» Hoc eodem sensu dicimus, non omnes cogitationes nostras esse nostras, sed aliquas aliunde advenire, sive a spiritu bono, sive a spiritu malo. Cogitatio mea dicitur, quae ex discursu proprio provenit, per motum humoris cuiusdam interni, vel occasionis externae per sensus admissae, qui aliis atque aliis modis, per species impressas solent excitare imaginationem in intellectu. Cogitatio aliena dicitur in primis, quam per voces externas alius mihi ingerit; sed de hac non agitur hic, tum quia extrinsece cognita et manifesta est, tum quia ad propositum nostrum non eget instructione particulari. Per cogitationes aliunde advenientes, has solas intelligimus, quae procedunt a spiritu malo, vel bono. Qui spiritus, quoniam causae occultae, et extra sensum positae, sunt, ad sui notitiam et examen, discretione indigent, luceque peculiari.

Huc spectant utraeque regulae Discretionis, quae exstant in libello Exercitiorum, quibus, et principium posuit, et splendorem contulit S. P. N. in meditatione de duobus vexillis. Vbi signa discernendi inter spiritum bonum et malum reducit ad duo capita. I. Ex

1 2 Reg. xiv, 19.

parte materiae, sive motivorum, quae et hic et ille spiritus intellectui nostro proponit; haec autem colligi possunt ex concione, quam uterque dux habet ad suos. II. Ex parte modi, quo motiva haec repraesentantur, hoc est, ex dispositione quam ex illis anima persentiscit. Atque illud significatur per arrogantem, et imperiosam feritatem, qua e cathedra sua loquitur Lucifer; et per affabilitatem et amabilitatem, qua suos alloquitur humilis, et speciosus forma, Salvator. Duo haec tetigit S. Pater in quinta regula ex posterioribus de Discretione spirituum, ubi sic ait: «Sedulo et accurate excutiendae sunt cogitationes nostrae, circa principium, medium et finem suum. Quae tria si recte se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis; sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quaerendo sequi decrevisset; vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublata quae prius aderat quiete, pace et tranquillitate, evidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis eiusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostrae semper adversantem.» De duobus his signis, ut inter duo cogitationum genera distinguamus, agetur in capitibus sequentibus.

CAPVT XII

QVOMODO DISTINGVANTVR ISTA TRIA GENERA COGITATIONVM EX PARTE MATERIAE

Si materiam cogitationum nostrarum inspicimus, inter spiritum bonum et malum haec differentia est, quod spiritus bonus semper impellat ad bonum, et ad melius magisque perfectum. Dico, semper, quia in tota cogi–

tationum catena, in principio, et in medio, et in fine, proponit et suadet ea, quae perfecta sunt. Spiritus vero malus, e contrario semper impellit ad malum, aut ad bonum minus, quam anima ante decreverat. Et hoc aliquando aperte iam inde a principio, alias dissimulanter in principio, et sub quadam specie boni, sed apertius declarando se, vel in medio, vel in fine, et transeundo ad id, quod malum vel minus bonum est. Hoc docet S. Pater in quinta illa regula iam allegata.

At, numquid sicut spiritus bonus semper impellit ad bonum, et spiritus malus semper ad malum, sic etiam e converso omnis cogitatio bona auctorem habet spiritum bonum, et omnis cogitatio mala spiritum malum? Hoc si ita sit, a quo spiritu erunt cogitationes, quae auctorem habent spiritum proprium, quae neque sunt a spiritu bono, neque etiam a spiritu malo? Primo igitur certum est, cogitationes vagas, et discursus inutiles de obiecto audito, vel viso, vel sensibus oblato, ordinarie provenire a spiritu nostro. Deinde, plurimae cogitationes malae nostrae propriae sunt, et absque tentatore alio nos ipsos tentamus, et per infirmitatem arbitrii nostri ad bonum, in hac naturae corruptione, cogitationes nostrae propriae saepius nos impellunt ad malum, atque ad id quod rationi divinisque legibus adversatur. Ita docet D. Thomas [1], qui ad quaestionem «Vtrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli,» sic respondet: «Non omnia peccata committuntur diabolo instigante, sed quaedam ex libertate arbitrii, et carnis corruptione. Quia, ut Origines dicit, etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, et venereorum, et huiusmodi, circa quae multa inordinatio contingit, nisi per rationem talis appetitus re-

1 1, p. q. 1, q. 114, art. 3, corp. et ad. 3.

fraenetur.» Et proposito hoc argumento: «Omnia bona quae facimus, ex suggestione bonorum Angelorum procedunt... ergo, et omnia mala quae facimus, proveniunt ex suggestione diaboli;» respondet «quod homo potest per seipsum ruere in peccatum, sed ad meritum proficere non potest, nisi auxilio divino, quod homini exhibetur mediante ministério Angelorum. Et ideo ad omnia bona nostra cooperantur Angeli, non tamen omnia peccata nostra procedunt ex daemonum suggestione. Quamvis nullum genus peccati sit, quod non interdum ex daemonum suggestione proveniat.» Haec doctrina D. Thomae convenit cum doctrina Basilii, docentis tentationes inhonestas saepius a nobisipsis oriri, et harum aliquas a corpore ad spiritum derivari, aliquas a spiritu ad corpus [1]. «Sollicite, inquit, curare debet virgo quomodo placeat Domino, ut sit sancta corpore et spiritu... Sancta corpore, dum ex eo ad animam nihil iniquinationis importat; et spiritu, dum nulla hinc mala cogitatione perturbatur. Non solum enim a corpore ad animam perturbationes transeunt, verum ab anima incipientes, ad corpus.» Non potest igitur dubitari, quin de nobis ipsis, sive ut Christus ait, de corde, exeant cogitationes malae, absque eo quod tentator adsit, et inflammet rotam nativitatis nostrae, inflammatam a gehenna [2].

Maior difficultas est de cogitationibus, quae procedunt a spiritu proprio, et impellunt ad bonum; videtur enim D. Thomas asserere, omnes nostras cogitationes bonas ex bonorum Angelorum suggestione procedere. Notandum igitur, cogitationem nostram dici posse, quam ex nobisipsis liberi arbitrii viribus excitamus,

1 De vera Virginit. post. med.
2 Iacob. III, 6.

absque adiutorio gratiae supernaturalis. Certum vero est, cogitationem talem, quae meritoria sit et conferat ad salutem, non posse nos habere a nobis. Dicit enim Paulus [1]: «Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.» Sed de hac sufficientia iam non agimus, neque loquimur hic de gratia in rigore theologico, sed de gratia devotionis; qua deficiente, sive tempore desolationis, sive etiam tranquillitatis et pacis, necesse est ad excitandos in voluntate affectus bonos, et proficiendum in via divinii servitii, subsidium petere a ratiociniis et discursibus nostris. Has vero cogitationes vocamus nostras, quoniam a libertate nostra nascuntur, et a naturali operandi modo procedunt; etsi semper adiunctam habeant gratiam Dei, quoties utiles sunt ad salutem. Hae cogitationes hic opponuntur illis, in quibus praevenimur a splendore gratiae divinae, et veluti sublevamur a potenti manu Dei, et ad maiora evehimur, quam sufficientes simus cogitare ex nobis; neque enim hi impulsus dependent a voluntate nostra, neque industria naturali aut conatu proprio obtineri possunt. De differentia inter has utrasque cogitationes, fusius egimus parte prima Viae spiritualis lib. II, cap. XXVIII et XXIX, et lib. III, cap. IX; adeoque supervacaneum est ea repetere. Videatur Suarez de Religione, tom. IV, tract. X, lib. IX, cap. V, dubio 12.

Si igitur cogitatio mea dici possit, quae a libertate procedit, et ab arbitrio meo dependet, licet a divina gratia adiuvetur, potest cogitatio mea, sive spiritus mei, versari circa bonum, et impellere ad bonum. Res hac comparatione illustrari potest. Homo debilis et infirmus, qui se suis viribus movere nequit, duobus modis

[1] 2 Cor. III, 5.

iuvari potest: uno quidem, si illum alii suis humeris ferant: altero, si brachiis fulciant. Primo modo movetur quidem, sed omnis ille motus ab extrinseco venit; secundo autem modo, quamquam ab aliis adiuvetur, movet tamen seipsum libere, neque enim vis ulla infertur, et sola voluntate sua sistit hunc motum; ac propterea motus hic potest dici proprius, etsi aliunde iuvetur. Eadem ratione voluntas nostra, quae debilis et infirma est, neque per se capax est operari bonum, aliquando sic praevenitur a gratia luceque divina, ut non tam gradiatur, quam sustollatur; neque tam loquatur Deo, quam Deum audiat sibi loquentem: atque haec est cogitatio, quae ab extrinseco venit, sive a spiritu bono. Aliquando discurrit intellectus per se, et rationibus excitat voluntatem; etsi vero tunc adiuvetur anima a gratia cooperante, illa tamen cogitatio nostra dici potest, utpote a voluntate nostra dependens, et discursui nostro innixa. Plus autem, vel minus, haec cogitatio a nobis ipsis habet, pro ratione lucis et devotionis spiritualis, qua perfunditur, quaeque illam quandoque sublevat, ut exiguo labore cognoscat, quod labore multo per se consequi nequit.

Ex dictis sequitur, quod cogitationes extrinsecus advenientes, si a spiritu bono proveniunt, semper impellant ad bonum, sin a spiritu malo, serius aut citius semper ad malum; cogitationes vero, a spiritu proprio venientes, differenter se habeant ad bonum, et ad malum. Bona enim cogitatio, bona esse nequit sine gratia, nostra tamen dici potest, quum ab industria, conatu discursuque nostro procedit; quae spiritus boni est, quando gratia Dei nos praevenit. Mala autem cogitatio nostra, mala esse potest, absque alterius spiritus adiutorio. Hanc doctrinam, quam S. P. N. clare supponit, ex ore Abbatis Moysis audiamus, qui apud Cassianum

sic loquitur [1]: «Illud sane prae omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia, id est, ex Deo, ex diabolo, et ex nobis. Ex Deo quidem sunt, quum Spiritus sancti illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, et in quibus vel minus acquisivimus, vel desidiose agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat; vel quum reserat nobis coelestia sacramenta, et propositum nostrum ad meliores actus voluntatemque convertit. Vt ibi, quum rex Assuerus, castigatus a Domino, libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochaei beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece gentis Iudeae sententiam revocat. Vel quum Propheta commemorat: «Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.» Alius quoque: «Et dixit, inquit, Angelus qui loquebatur in me.» Vel quum Filius Dei venturum se una cum Patre, et mansionem apud nos facturum esse promittit. Et, «Non estis, inquit, vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.» Et vas Electionis: «Experimentum eius quaeritis, qui in me loquitur Christus?» Ex diabolo vero cogitationum nascitur series, quum subvertere nos tam vitiorum oblectatione, quam etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate, mala pro bonis fraudulenter ostentans, et transfigurans se in Angelum lucis. Vel quum Evangelista refert: «Et coena facta, quum diabolus iam misisset in cor, ut traderet Dominum Iudas Simonis Iscariotae.» Et iterum: «Post buccellam, inquit, introivit in illum satanas.» Petrus quoque ad Ananiam: «Quare, ait, tentavit satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto?» Et illud quod in Evangelio, et multo ante per Ecclesiasten

1 Collat. 1, cap. 19.

praedictum legimus: «Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas.» Illud quoque quod dicitur ad Deum contra Achab in tertio Regum libro, ex persona spiritus immundi: «Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.» Ex nobis autem oriuntur, quum naturaliter ea quae gerimus, vel gessimus, vel audivimus, recordamur. De quibus beatus David: «Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos aeternos in mente habui: et meditabar nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.» Et iterum: «Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.» Hactenus Abbas Moyses, illustrans Scripturis variis tria genera cogitationum, et uniuscuiusque virtutem, ut superius exposuimus; spiritus enim bonus semper movet ad bonum, et ad melius; spiritus malus, vel aperte vel occulte, semper tendit ad malum; spiritus proprius, alias vana cogitat, alias mala, alias etiam bona, sed, ut aliquid mereatur, cum Dei gratia cooperante.

CAPVT XIII

DE ALIO SIGNO AD DIGNOSCENDVM ISTAS COGITATIONES, ET QVANTI REFERAT DISCRETIONIS HVIVS SCIENTIA

Regula ad distinguendas cogitationes ex parte materiae sive obiecti, priori capite assignata, quamquam generalis esse possit, ad distinctionem earum, quae adveniunt a spiritu bono, qui semper movet ad bonum, et illarum, quae adveniunt a spiritu malo, qui semper movet ad malum; non tamen sufficit ad distinctionem spiritus proprii ex una parte, et spiritus boni vel mali ex altera. Cogitationes enim spiritus proprii, quandoque repraesentant rem bonam, instar spiritus boni; et quan-

doque rem malam, ad instar spiritus mali. Alterum ergo signum, sive altera regula necessaria est. Haec vero desumitur, I. A modo, quo res proponitur. II. Ab affectu et dispositione, quam in anima relinquit. Atque ut a modo incipiamus, certum est generaliter, spiritum proprium ex natura sua languidum, et debilem esse; atque plus laboris in discursibus adhibere, virtutemque et efficaciam minorem afferre, quam afferat spiritus bonus aut malus. Ratio clara est. Omnis enim, qui vel loquitur, vel disputat, secundum vires et ingenium suum loquitur et disputat. Si curta supellex illi est, languide breviterque rem proponit; sin vero haec ampla est, maiori energia efficaciaque rem agit. Quoniam igitur in genere spirituum anima nostra infima est, comparata cum spiritibus, et bono, et malo; cogitationes eius ordinarie remissiores, et minus efficaces sunt illis, quas spiritus potior fortiorque indit. Hinc alius promanat effectus observatu dignus, quod nimirum facilius sit proprii spiritus motibus resistere, illosque non laboriose possimus excutere, quoties volumus, quoniam «ex proprio surgunt motu ipsius hominis.» Circa cogitationes extrinsece advenientes, non sic, importuniores enim, et obstinatiores hae sunt. Sicut quando lego, aut quidpiam meditor, desistere ab hoc opere haud gravate possum, dum lubet; si vero alius mihi loquatur, amandare illum non possum, ut velim, praesertim si pugnax et obstinatus est in eo, quod afferre constituit. Sequitur hinc etiam altera differentia, quae affectum dispositionemque animae concernit. « His enim, qui facile peccant lethaliter, et peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis, et sensuum delectationes obiicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus vero bonus e contrario, conscientiam illorum pungit assi-

due, et per synderesis, rationisque officium a peccando deterret,» ut dicitur regula prima ex prioribus de Discretione. «Aliis vero hominibus,» ut regula proxime sequenti dicitur, «qui se a vitiis, et peccatis purgandos curant sollicite, et in obsequii divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, et alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono, ex opposito, proprium consuetumque est, recte agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, et tranquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius alacriusque per opera bona semper ultra tendant.» Hos affectus non excitat spiritus proprius, nisi lente et remisse, sive tendat in malum, sive in bonum; qui praeter illa, quae ratiocinationem propriam consequuntur, et ex ea resultant, in se nihil sentit. Verum latior accommodatiorque locus his esse potest tractatus de discretione spirituum: hic nobis sufficiat, tria esse genera cogitationum, quae differunt in materia et modo; et spiritum proprium, ut caeteris infirmiorem, post adhibitum laborem maiorem, consequi minus, et languidius obiectum proponere, et facilius, quam duobus aliis, illi resisti posse. Iuvabit haec aliquanto magis enucleare, tum de cogitationibus bonis, tum de malis.

Quod attinet ad cogitationes bonas, quando intellectus noster se comparat, ut viribus propriis discurrat, v. gr. in meditatione, necessarium est ante omnia praelegere materiam meditandam, hanc in puncta determinata dividere, memoriae haec imprimere, ut apposite super his suo ordine ratiocinemur, ad excitandos affectus desideratos, secundum rationem cuiusque genio magis accommodatam; nunc per syllogismos

largius discurrendo, nunc per enthymemata strictius, nunc rationibus moventibus, nunc exemplis, nunc similitudinibus utendo, nunc verba quaedam aut sententiam ponderando, aut alio denique modo. Quanta vero differentia hic sese aperit; quando Angelus Domini conatibus nostris supervenit, et aspirat ventus Spiritus Sancti? Etenim, quae lex adeo clara, quae suavitas adeo penetrans, quae requies adeo secura, quae scientia adeo nova, quae ratio adeo efficax, quae similitudo adeo viva, quis conceptus adeo subtilis, quod secretum adeo manifestum? Quanta hic intelligentia nullo nostro impendio, quanta scientia sine studio acquisita? Quam liquide experimur illud [1]: «Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis.» «Felix,» ait a Kempis [2], «quem veritas per se docet, non per figuras et voces transeuntes, sed sicuti se habet.» «Beatus homo, ait David [3], quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.» «Dicebant olim filii Israel ad Moysen, inquit idem a Kempis [4], loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Non sic, Domine, non sic oro, sed magis cum Samuele propheta humiliter, ac desideranter obsecro: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis ex prophetis; sed tu potius loquere, Domine Deus, inspirator et illuminator omnium prophetarum, quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere; illi autem sine te, nihil proficient. Possunt quidem verba sonare,

1 Hebr. IV, 12.
2 De Imit. l. I, c. III, n. 1.
3 Ps. XCIII, 12.
4 Lib. III, c. II, n. 1.

sed spiritum non conferunt. Pulchriter dicunt, sed te tacente, cor non accendunt. Litteras tradunt, sed tu sensum aperis; misteria proferunt, sed tu reseras intellectum signatorum; mandata edicunt, sed tu iuvas ad perficiendum; viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum; illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas; illi exterius rigant, sed tu foecunditatem donas; illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam praebes. Non ergo loquatur mihi Moyses, sed tu Domine Deus meus, aeterna veritas, ne forte moriar, et sine fructu efficiar, si fuero tantum foris admonitus, et intus non accensus. Ne sit mihi in iudicium verbum auditum et non factum, cognitum nec amatum, creditum et non servatum. Loquere igitur, Domine, quia audit servus tuus, verba enim vitae aeternae habes. Loquere mihi, ad qualemcumque animae meae consolationem, et ad totius vitae meae emendationem; tibi autem ad laudem, et gloriam, et perpetuum honorem.» Mirabiliter his verbis hic divinus scriptor declarat efficaciam lucis divinae, quando spiritus bonus animae loqui dignatur, describitque quantam vim verbis internis afferat, quantam auditui intelligentiam praebeat. Patet igitur id, quod quaerimus, quanta scilicet sit differentia inter cogitationes a spiritu bono advenientes, et proprias. Non egent ista declaratione aut probatione maiori; haec enim supervacanea esset expertis, frustranea inexpertis, qui hos spiritus boni effectus neque intelligunt, neque credunt.

Inter cogitationes spiritus proprii et mali, cum proportione, differentia eadem reperitur. Suggestio enim spiritus mali vehemens est, festina, fervida, impatiens morae, fatigat animam, et inquietam reddit; ut equum generosum fatigat sessor, quem assidue pungit calcaribus. Non cedendum tamen importuno huic sessori, sed

standum in propositis prius conceptis, iuxta illud [1]: «Si spiritus potestatem habentis adscenderit super te, locum tuum ne dimiseris.» Id expresse docet S. Pater quum ait [2]: «Hominem, tentatione pulsatum, mire iuvat patientiae studium, ut quae vexationibus huiusmodi proprie opponitur, et e diametro resistit.» Et iterum [3]: «Tempore desolationis nihil deliberandum, aut innovandum est.» Si enim senserit spiritus malus animam tentatione pulsatam trepidare, vacillare, cadere animis, «Nulla, inquit [4], bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior et pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra malignae obstinataeque mentis suae desiderium adimpleat.» Figurandus enim inimicus ille, veluti [5] «in cathedra ignea et fumosa sedens, horribilis figura, vultuque terribilis,» ex qua eiaculatur illa [6] «tela ignea,» ut Apostolus loquitur, quibus excutiendis vix apparet modus. Quae vero esse possunt illa ignea tela, quae ex cathedra sua ignea et fumosa emittit, nisi rationes, quas homo neque vidit, neque audivit, neque cogitatione assequutus est antehac, quarum veritatem obtegit, quasque veluti fumo suo involvit? De hac enim bellua scriptum est [7]: «De naribus eius procedit fumus, sicut ollae succensae, atque ferventis; halitus eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur.» In quae verba Gregorius [8]: «Quia sicut fumo oculorum acies infirmatur, non immerito de

1 Eccl. x, 4.
2 Reg. VIII, ex prior. de discret.
3 Reg. V, ibid.
4 Reg. XII, ibid.
5 Medit. de duob. Vexil.
6 Ephes. VI, 16.
7 Iob, XLI, 11.
8 XXXIII Moral. 38.

eius naribus fumus procedere asseritur, cuius noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit, quia in reproborum cordibus, insidiarum suarum aspirationibus, ex amore vitae temporalis, aestum congerit multiplicium cogitationum. Et veluti fumi globos multiplicat, quia inanissimas praesentis vitae curas in terrenorum hominum mente coacervat [1]. «Halitus ejus prunas ardere facit.» Quid enim prunas, nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat? Ardent enim, quum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum urunt desideria, quae quietum ac integrum esse animum non permittunt [2]. «Et flamma de ore eius egreditur.» Flamma quippe oris eius est ipsa instigatio occultae loquutionis. Pravae enim suasionis verba ad uniuscuiusque animum facit; sed flamma est, quod ex ore eius egreditur, quia ardet in desideriis animus, quum eius suggestionibus instigatur.» Hac ratione, atque his comparationibus declarat Gregorius vim et violentiam tentationum, advenientium a spiritu malo. Porro tentationes, quae proveniunt a spiritu proprio, generaliter moderatiores sunt, et superari vincique, cum gratia Dei, facilius possunt. Dico, generaliter, quia etsi verissimum sit, aliquando a nobisipsis, sive a spiritu proprio, tentationes insurgere adeo violentas, ut dubitari possit, an immittantur a spiritu malo; illa tamen vis non oritur ab hac tentatione per se, sed vel a vehementia passionis, vel a consuetudine inveterata, vel ab occasione praesente, vel ab humore melancholico, qui virtuti imaginativae usque

1 Ibid. cap. 40.
2 Iob, XLI, 12.

adeo insidet, tamque debile reddit cerebrum, ut energumeno haud absimilis, cogitationibus suis resistendo non sit. Vires suas acquirunt cogitationes istae, quia principiis non obstatur, quando infirmior illarum vis erat. Sicut enim qui in declivi praecipitem cursum instituit, impetu illo sibi impresso, iam non est dominus sui motus, neque cursum sistere potest, etiamsi a nullo alio propellatur; ita simile quid iis evenit, qui propensionibus naturae depravatae obsecundantes, tantopere illarum vires et impetum paulatim augent, ut a spiritu maligno impelli videantur.

Quanti vero referat iam inde a principio nosse, a quo spiritu cogitationes nostrae oriantur, annotavit Cassianus his verbis [1]: «Hanc igitur oportet tripartitam rationem nos jugiter observare, et universas cogitationes, quae emergunt in corde nostro, sagaci discretione discutere; origines earum, et causas, auctoresque primitus indagantes, ut quales nos eis praebere debeamus, ex illorum merito, qui eas suggerunt, considerare possimus.» Hoc ipsum posuit S. Pater in ipso titulo regularum suarum de hac materia, qui sic habet: «Regulae aliquot, ad motus animæ, quos diversi excitant spiritus, discernendos; ut boni solum admittantur, et pellantur mali.» Recte dicit «Regulae aliquot,» quis enim omnes, vel usque adeo exactas, assignet, ut quovis tempore hi spiritus certo discerni possint, plenamque in hoc genere prudentiam ingenerent? Prudentia, ut vulgo dicitur, neque discitur, neque docetur. Si prudentiae humanae hoc tribuitur, potiori titulo dandum est divinae, et spirituali. Haec enim prudentia, quando Deus eam communicat, facili negotio internoscit internorum motuum differentiam; sed huic ipsi, cui donum hoc

1 Collat. 1, c. 20.

datum est, perdifficile est regulas aliis scribere ex omni parte perfectas, ad motus animae discernendos; quamquam illae, quae proponuntur, huc conferre possint. Quid enim facilius unicuique, quam ex facierum diversitate discernere homines inter se? quid vero difficilius, quam diversitatis illius causas exprimere verbis? Quid facilius, quam sapores gustu distinguere, odores olfactu, dissonantiam vocum auditu? quid difficilius, quam harum discretionum regulas dare? Tu, qui palato tuo gustasti mel, quo pacto mihi dicendo exprimes, quid aut quomodo sapiat, qui mel gustavi numquam? Odorem moschi et succini naribus percepisti, edissere odores istos, ut te clare intelligam, qui quales sint nescio; musicus es, doce surdum quid rei sit musica: sermonibus non discitur ea distinctio, sed ut ait Iob [1]: «Auris verba diiudicat, et fauces comedentis saporem.» Regulae igitur discretionis, etsi ad discretionem utiles sint, ipsam tamen discretionem dare non possunt, sed vel pleraeque, vel etiam omnes, in discretione fundantur. Haec discretio donum est, quod ipse Spiritus sanctus ad fidelium totiusque Ecclesiae utilitatem ingentem impertit; ut enim ait Apostolus [2]: «Alii datur prophetia, alii discretio spirituum.» Ut discernas, an prophetia a divino, vel diabolico, vel humano spiritu sit, luce divina opus est, quam Spiritus sanctus animabus puris et tranquillis infundit, qua adiuvante spirituum differentiam assequuntur. Propterea dicit alibi [3]: «Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere; omnia autem probate, et quod bonum est, tenete.» Paucissimis verbis regulas omnes colligit Magister ille

1 Iob, XII, 11.
2 1 Corint. XII, 10.
3 1 Thes. V, 19.

excellens, quae in hac materia dari possunt. Primo igitur, quando spiritus claritate sua instar lampadis intellectum illustrat, «nolite,» inquit, illum «exstinguere.» Sicut enim, ut notat Chrysostomus in haec verba Pauli, si quis lampadi accensae aquam inspergat, aut pulverem, aut validiorem ventum immittat, lucem eius exstinguit, ita perit similiter donum spiritus. Fit etiam saepenumero, ut nullo externo impulsu incumbente exstinguatur fax, quando videlicet oleum deficit; oleum vero hic sunt opera bona, praesertim misericordiae. Solliciti ergo simus, ne lucem spiritus exstinguamus, ne in tenebricosa nocte ambulemus. Praeterea, «prophetias nolite spernere,» vilipendendo universas; quamquam enim prophetae quidam falsi inventi sint, prophetas tamen veros Ecclesia semper habuit. «Probate» igitur «omnia,» ut edulia probari solent, de quibus docet experientia, an utilia sint, an noxia. Sic etiam spiritus probate, et experimini quales sint: audite, legite, excutite, indagate per spiritualem discretionis gustum, ut si quae larva lateat, deprehendatur, et solum hoc, quod bonum est, retinete. En finem, ad quem tendunt omnes regulae discretionis. Juvabit hanc doctrinam Apostoli audire verbis S. Diadochi, qui subtilitate sua solita sic disserit de hac re [1]. «Oportet eos, qui certant, animum semper extra pertubationum fluctus conservare, ut mens cogitationes incurrentes discernens, bonas quidem et a Deo missas in penu memoriae recondat, malas vero et daemoniacas ex apothecis naturae eiiciat. Mare enim, quum tranquillum est, usque ad fundum perpicuum est piscatoribus, ita ut tunc nihil fere piscium eos lateat; quum vero ventis agitatur, tegit tempestate turbida, quae in placida tranquillitate largiter

1 De perfect. spirit., cap. 26 et 28.

facit perspici ; ex quo fit, ut ars eorum, qui piscatorios dolos machinantur, procelloso tempore otiosa sit. Quod quidem menti, quae in contemplatione versatur, evenire solet tunc maxime, quum fundum eius ira iniusta turbatum est... Solummodo Spiritus sancti est purgare mentem: nisi enim ingrediatur fortis ille, et diripiat latronem, numquam illi praeda eripietur. Oportet igitur in omnibus pace animae Spiritum sanctum recreare, ut lucernam cognitionis semper apud nos lucentem habeamus. Ipsa enim in penetrali mentis splendente, non solum illi amarulenti et tenebricosi daemonum appulsus patefiunt, sed etiam magnopere languescunt, ab illo sancto et glorioso lumine deprehensi. Idcirco Apostolus ait: «Spiritum nolite exstinguere,» id est, ne per maleficia, et pravas cogitationes Spiritum sanctum tristitia afficiatis, ne suo illo splendore vos desinat protegere. Non enim aeternum illud et vivificum Spiritus sancti lumen exstinguitur, sed tristitia nostra, sive aversio ab illo, mentem sine lumine cognitionis obscuram, et caligine circumfusam relinquit.» Hactenus ille. Atque haec sufficiant de puncto primo, a S. P. N. hic proposito, sive de principiis, ex quibus oriuntur cogitationes. Iam secundum aggrediamur, modum scilicet, quo ex cogitatione elicitur meritum, et peccatum.

CAPVT XIV

QVOT MODIS MERERI, ET PECCARE POSSIMVS PER COGITATIONES

Ante omnia advertendum est, hic non agi de cogitationibus malis in genere, sed de iis dumtaxat, quae capaces sunt meriti vel demeriti, virtutis vel vitii, sive de obiective malis. Hae enim praebent Examini, de quo

sermo est, materiam magis propriam; et a S. Patre per haec verba designantur, «Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione.» Mala cogitatio tres habet gradus, ut vulgatissimum est, de quibus Gregorius [1]: «Sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione et consensu.» Hos tres modos tangit S. Pater, horum unicuique dando quod suum est. Ex suggestione ait posse elici meritum, ex delectatione oriri veniale, ex consensu mortale. Suggestio autem fit dupliciter: vel enim nude excitatur a sensibus externis, vel illam patitur intellectus et appetitus. Quae ab externis sensibus suscitatur, vel producitur a spiritu malo, vel ab obiectis sensuum naturalibus. De spiritu malo suggestionem obiiciente, per imagines foris apparentes, vel verba aures pulsantia, aliaque id genus, quibus nitatur instigare ad malum, extant plurima in vitis Sanctorum; verum haec ludibria externa nullam inferebant invitis mentibus labem. Hujus generis, ut ait Gregorius [2], fuit tentatio Christi: «Nos, inquit, quum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobismetipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit.» Suggestio, quae non a daemone, sed ab obiectis externis naturaliter excitatur, aliquando pari ratione involuntaria est, (etsi enim nolim, et omnimodis refrager, ea video audioque, quae

1 Homil. 16 in Evang.
2 Ibid.

interius pariunt cogitationes, et affectus malos), aliquando autem voluntaria est. Suggestio involuntaria nullam infert culpam, sive a visu, sive ab auditu, sive a cogitatione, motuque animi primo ex his oriundo; neque enim haec in libertate mea fuere, neque praevenire ista potui, aut vitare. Quidam Sanctorum Patrum docent, Virginis Matris privilegium hoc fuisse maxime singulare, non tantum omni delectatione, et consensu peccati caruisse, de quo nemo dubitat; non tantum ab omni culpae internae motu primo exemptam fuisse, utpote a peccati fomite immunem; verum etiam externe ab omni peccati illicio praeservatam fuisse, ad hoc peculiariter cooperante providentia Dei, et per inspirationes revelationesque intrinsecas, perque ministerium extrinsecum Angelorum, haec obiecta omnia ab illius sensibus avertente. Hoc prodigium posuit Deus super terram, auferens bella, tum interna, tum externa, usque ad fines terrae, hoc est, usque ad ipsos sensus exteriores, quos in innocentia summa, purissimaque pace servare dignatus est. Suggestiones vero, quae voluntariae sunt, aliquando finem habent honestum et utilem, id quod confessaris et medicis accidit, qui tum in studiis ad scientiam, tum in alloquiis necessariis ad iudicium, ex charitate cloacis vetitis appropinquant, ut in has prolapsis opem afferant salutarem; itemque illis, quibus ex debito conditionis, vel officio honestatis incumbit, per visitationes et colloquia, suggestionum illarum periculis se exponere. In his enim ordinarie nullam affert culpam, vel occasio, vel etiam motus primus hinc subortus, ubi non apparet periculum morale damni maioris. At si causa non tantum sit voluntaria, verum etiam inutilis, et culpabilis, v. g. lectio libri lascivi, aspectus obiecti inhonesti sive viventis, sive picti; conversatio liberior, aliaque huius-

modi; etsi inde aliud non oriatur damnum, quam ipsa cogitatio sive motus primus ad malum, et post causam positam hic effectus iam evitari non possit, imputatur tamen ad culpam, quoniam et poterat, et tenebatur vitari causa.

Ut cogitatio mala, et motus ejus primus, sive haec evenerint sine culpa, sive etiam cum culpa ob datam causam, reputentur ad culpam, necesse est ut homo advertat ad cogitationis suae malitiam. Quamdiu enim non advertit, illam adversari Deo eiusque mandatis, etsi aliquantisper immoretur, non tamen ea desinit esse motus primus. Quomodo enim offendat Deum, qui non advertit offensam? Multum tamen hic interesse solet inter incipientes, magisque in virtute exercitatos. Hi enim ex timore labendi, et sollicitudine removendi culpam omnem, mox advertunt, si in intellectu quidpiam a regula rationis deflectit, legique Dei contrariatur. Incipientes vero per vehementiam affectuum, et phantasiarum noxiarum consuetudinem, lentius in se reflectunt, et quandoque cogitationi malae non parum immorantur, priusquam attendant qualis sit, et quo ducat. His igitur tamquam languidioribus, non ita arctatur motus primi spatium, sicut perfectioribus; dummodo noverint obstrictos esse se, quamprimum cogitationis malitiam apprehendunt, huic resistere, et a se removere.

In tali ergo suggestione cogitationis malae, «duobus modis elicitur meritum,» inquit S. Pater. Horum modorum primus est: «Quando suggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur.» Haec victoria accelerata post luctam brevissimam, principiis duobus adscribi potest. Primo quidem, suggestionis ipsius infirmati, praesertim si a spiritu proprio proficiscatur; haec enim per se languidior est, et

maxime in principio, ac propterea facilius superatur. Deinde, cogitationis huius profligatio pugnantis animo et fortitudini tribui potest. Si enim magnanimum se praebuerit, etsi ipse daemon cogitationem pertinacem suggesserit, ad primum impetum adversarius abiicit animos et fugit. Hoc alibi docuit S. Pater his verbis [1]: «Consuevit daemon animo et robore plane destitui, quoties spiritualem athletam, corde imperterrito ac fronte ardua, tentationibus videt obluctari.» Hinc patet, quam salutare consilium sit, ut tentationibus in principio prompte resistatur, sive a spiritu proprio ortae fuerint, sive a maligno, uterque enim spiritus tunc facilius vincitur, et per moram invalescit. Quod si ad primos impetus trepidare incipias, et quasi animum despondere, «nulla bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior, et pertinacior,» ut S. Pater ibidem.

Alter modus merendi est, inquit idem Sanctus, «Quando pravae istiusmodi suggestioni, semel ac iterum repulsae, et subinde nihilominus revertenti, continue resistit homo, donec penitus expugnetur, quod quidem victoriae genus merito alterum antecellit.» Ratio patet, quo enim acrius est praelium, hoc victoria illustrior est. Valde hic notandum stratagema, quod diabolus adhibere consuevit. Vires suas continet, ut certamen extendat, minori impetu tentationem aggreditur, ut diutius tentet. Languor enim certaminis reddit hominem incurium, et imminuit suspicionem peccati, praeliique prolixitas vigorem mentis attenuat, et adducit ruinam. Nam, ut recte observavit Gregorius [2], «Tentationum stimuli, non quidem acriores, sed longiores, minus dolent, sed magis inficiunt; quia dum

1 Reg. 12 ex prior. de Discre.
2 XXIV Moral. 15.

menti diutius inhaerent, tanto fiunt minus pavendi, quanto magis assueti.» Stemus igitur attenti, neque lassemur resistendo, quando non cessat inimicus urgendo, donec cogitatio radicitus debelletur.

Sequitur gradus secundus cogitationis malae, et peior, quando scilicet a tentationis suggestione transitur ad delectationem, simulque a statu meriti ad statum peccati, sed hactenus venialis. De quo gradu S. Pater sic: «Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur, vel in ea retundenda sese exhibet negligentem.» Status hic medius est inter resistentiam, et consensum deliberatum, qui efficiat peccatum mortale. Venialiter igitur malus est, qui sic delectatur, malitia vel maiore vel minore, pro proportione qua plus minusve accedit ad gradum tertium, et recedit a primo. Haec culpa nascitur vel ex parte advertentiae, quae quidem aliqua, non tamen plena atque integra est, ut dormiturientibus contingit; vel ex parte deliberationis et consensus, qui imperfectus est, et propterea culpa haec, non quidem summa est, sed tamen aliqua, ob negligentem cogitationis excussionem. Negligentia enim si abesset, non noceret cogitatio etiam pessima, sed pareret meritum, ut iam dictum est. Reum facit intellectum haec negligentia, quia morulam aliquam facit in obiecto prohibito, et attendit ad rem vetitam; ream etiam voluntatem, quia obiter aliqua delectatione hinc afficitur. Atque haec sunt capita, ad quae S. Pater apposite hoc peccatum reducit. Notandum vero, quod etiamsi hic revera omne meritum pereat, quod prompta resistentia attulisset, non propterea cadendum animis, neque spem deserendam esse, permittendo ut torrente tentationis in profundum abripia-

mur. Concipienda potius fiducia est, fore ut succurrat coelum, et accepta vulnera curet, nosque nobis restituat, ut pugnam redintegremus, et victoriam denique referamus. Addat animos victoriae praemium, quod non qualecumque est, sed vita nostra aeterna.

Tertius cogitationum gradus est, longeque miserrimus, si suggestio et delectatio sic afficiant animam, ut voluntas ad consensum, qui mortalis sit, pertrahatur. Id, quod adeo secreto peragitur, nisi sedulo invigilemus, ut prius damnum illatum sit, quam inferri sentiatur. Hinc animam tentatione pulsatam Iob comparat vestimento [1] «quod comeditur a tinea.» In quae verba Gregorius [2]: «Tinea sine sonitu perforat vestimentum, et plerumque cogitatio ita transfigit mentem, ut mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit eius aculeo transfixa.» De hoc igitur gradu, quo cogitatio pertingit usque ad consensum deliberatum, sic loquitur S. Pater: «Mortale vero peccatum per cogitationem duobus modis admittitur. Primo, quando cogitationi peccati praebetur quacumque ratione assensus. Secundo, quando peccatum illud opere completur. Idque gravius est ex tribus causis: videlicet, ob maiorem temporis decursum, ob actum intensiorem, et ob plurium denique offendiculum sive detrimentum.» Textus hic per se clarus est. Dubitari posset solummodo, cur non sit additus tertius peccati mortalis modus, quum tripliciter cogitatione peccetur. Primo quidem, quando praebetur cogitationi consensus, cum intentione operis mali, sive verbo sive facto, postea complendi; verba enim in hac materia operibus annumerantur. Deinde, quando voluntas mala, quae praecessit, opere ipso completur. Denique,

1 Iob, XIII, 28.
2 XI Moral. 25.

quando nullatenus peccato externo, sed interno soli, praebetur consensus; sive, quando anima non assentitur operi, sed in sola et unica cogitationis suae complacentia conquiescit, quam delectationem morosam dicimus. Sed consideranti patebit, postremum hunc peccandi modum membro primo comprehendi, ita ut modus primo loco nominatus modos geminos complectatur. Unum quidem, quando peccato praebetur assensus, ut peccatum deinde ipso opere compleatur, alterum autem, quando absque ulla operis voluntate delectationi cogitationis mortaliter malae voluntarie inhaeretur. Utrumque hunc modum clare innuit textus, quum ait «quacumque ratione,» hoc est, sive cum intentione operis, sive absque hac intentione. Afferuntur igitur modi omnes, quibus per cogitationem peccatur mortaliter.

Quoniam vero in hoc capite singulare adiumentum contulit doctrina S. Gregorii, egregii morum magistri, qui, ut vidimus, motus animi per cogitationem peccantis accurate distinxit, concludamus hoc ipsum caput cum eodem Doctore, sanctissimi Iobi mores, quantum ad certamina cogitationum, solerter perscrutante, et quidem ordine iam a nobis proposito. Pugna haec oritur a suggestione, per sensus externos obiecta, suggestionem illam sequitur cogitatio, cogitatio excitat delectationem, delectatio ducit ad consensum, animus qui consentit, utitur oculis aliisque sensibus, tamquam intentionis pravæ administris, ut peccatum opere compleat. Hoc ordine peccatur. Ex ignavia igitur et tepore nostro, qui per hanc catenam ¡heu! nimium labimur, usque ad ipsum etiam peccati complementum, admirabilis sanctitas prophetae Iob, curaque eximia sui spiritus ne sensim rueret, luce clarius apparebit. Iobi verba, Deum testem invocantis, et de seipso testimo-

nium dicentis, fusius interpretatur Gregorius, quam ut hic apponi possint; aliqua dabimus, et aliquorum sensum proferemus. Sic loquitur Iob [1]: «Pepigi foedus cum oculis meis,» ne videant obiectum illecebrosum, «ut ne cogitarem quidem de virgine.» Ecce, oculis suis interdicit aspectum, ut ne ab aspectu mentem subeat cogitatio. Et quoniam cogitationem subsequi solet delectatio, mox subdit: «Si declinavit gressus meus de via,» per delectationem aliquam sinistram, unde incipit peccatum. «Toties, inquit Gregorius, gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis relinquit.» Quoniam vero ex delectatione sequi solet consensus, quo ferimur in obiectum prohibitum, sic pergit Iob iuxta versionem vulgatam: «Si sequutum est oculos meos cor meum,» sicut contigit regi David, cuius oculos cor subsequutum est. Quoniam autem cor, quod peccato consensit, rursum utitur oculis, voluntati iam depravatae inservientibus, iuxta versionem quam Gregorius adhibet, ait Iob: «Si sequutus est oculus meus cor meum.» «Sicut saepe tentatio, inquit Gregorius, per oculos trahitur, sic nonnumquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res quaelibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiae gladio confoditur. Non enim, ut exempli causa iam diximus, David Vriae coniugem ideo studiose respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit, quia incaute respexit. Fit vero rectae retributionis examine, ut qui exteriore negligenter utitur oculo, interiori non iniuste caecetur. Saepe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos sensus corporis famulari, more tyrannidis, exigit, suisque voluptа-

1 Cap. xxxi, 31.

tibus oculos servire compellit.» Hoc igitur dicit Iob: Neque per temeritatem videre volui, quod poterat desiderium excitare, neque deinde per concupiscentiam contemplari, si quid male desideravi. Quoniam denique per priores gradus dispositus, opere complet peccatum, concludit Iob: «Si manibus meis adhaesit macula,» hoc est, opere non peccavi. «Quomodo enim, inquit Gregorius, macula in manibus, id est, culpa in actionibus adhaereret, quam censura disciplinae non sinebat in cogitatione proficere? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus, ubi nascitur, exstinguatur. Si autem tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem, qua nutritur, mora roboratur, et existens foris in operibus, vinci vix praevalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet.» Haec Gregorius.

Ex his omnibus sequitur, in cogitationum luctamine, quemadmodum omnis anxietas animi et perturbatio non bona est, ita nullam attentionem aut prudentiam esse nimiam. Quicumque cladem in hac pugna declinat, militem cum adversario congredientem imitetur necesse est, cui metus vitio vertitur, cautela virtuti, utpote quae ad victoriam faciat haud parum. A languore enim et metu perturbatio et diffidentia nascitur, a perturbatione inconsideratio et praepropera festinatio, a diffidentia vero pusillanimitas et ignavia. Contingitque non raro, perturbatione ignaviaque sua propria spiritum vinci magis, quam robore tentationis. Propterea monet a Kempis [1]: «Paulatim et per patientiam cum longanimitate, Deo iuvante, melius superabis, quam cum duritia et importunitate propria.» E contrario nulla attentio nimia est, praesertim quando

1 Lib. I, cap. XIII, n. 4.

nulla colluctatio est cum spiritu tenebrarum, qui «circuit,» ut ait Petrus, «quaerens quem devoret:» quumque praelium, ut dictum est, a sensibus ducat originem, his fenestris invigilandum precipue. Sicut enim ignis non potest nimis sollicite arceri a domo, quae pulverem nitricum custodit, quoniam incuria levis damnum affert gravissimum, et scintilla minima perdit omnia; sic etiam hominem, qui intra se concupiscentiam continet, adeo proclivem ad malum, attentum ambulare oportet, ne per oculos ad cor penetret ignis peccati. Quisquis enim sensibus suis ponit custodiam, tollit culpae occasiones, et in pace conservat cor suum. Quod si interius ab ipso corde suscitetur incendium, ignis ille, qui clausis sensibus per obiecta exteriora non nutritur, facili negotio exstinguitur. Qui in hoc genere laxiora docent, et in favorem concupiscentiae licitum ab illicito subtilius distinguunt, infirmitati humanae laqueos struunt, carni et carnalibus desideriis patrocinantur, voluntque sensus nostros in praxi ipsa distinctiones formalitatesque adhibere, quas intellectus ipse vix assequitur.

Haec dicenda videbantur ad doctrinam S. P. N. circa differentiam peccati mortalis et venialis in materia cogitationum. In qua nescio equidem an admirer magis prudentiam, brevitatem, exactitudinem, quibus, homo litterarum hactenus rudis, ea scripsit quaecumque in hoc genere dici poterant; an vero difficultates et contradictiones, a viris eruditis adversus doctrinam hanc excitatas, unde sanctus scriptor meritorum messem uberem retulit, et cogitatio divinitus illi iniecta fuit, ut ad studia Parisiensia se transferret, suaeque Societatis fundamenta istic locaret. Petrus Ribadeneira [1]

1 Vita Ignatii, l. 1, c. 15.

posteaquam narrasset, quomodo Salmanticae Ignatius ob doctrinam de peccatis comprehensus, et in carcerem publicum coniectus fuisset, «Post aliquot, inquit, detentionis dies, ad iudices quatuor, viros graves et eruditos, adducitur, qui librum Exercitiorum omnes legerant, et curiosius expenderant. Hi post varias de reconditis Theologiae materiis quaestiones, Ignatium, qui ineruditum se profitebatur, tam docte graviterque respondentem audivere, ut omnem ulterius examinandi cupiditatem abiicerent. Unum erat, quod iudices non satis probare videbantur, quod initium fere Exercitiorum spiritualium eam doctrinam continet, qua docemur, cogitationem, quae peccatum veniale sit, ab ea cogitatione, quae sit mortifera, vere discernere. Id vitio propterea vertebant Ignatio, non quod falsum esset, sed quod quum minus esset doctrina excultus, ea constituerit, quae discerni absque magna doctrina non possunt. Ad quod Ignatius tantum: Verane sint, an falsa, quae scripsi, vestri iudicii est, ego enim meum non interpono. Si vera sunt, probate; sin falsa, reiicite. Illi autem nullo modo improbare ausi sunt... Secundo ac vigesimo die, ex quo capti fuerant, accersiti sunt a iudicibus, ut sententiam, quae in eos ferebatur, audirent. Sententiae summa erat: Vitam atque doctrinam Ignatii Sociorumque integram, nullaque omnino labe aspersam videri. Liberum illis esse, pro sua consuetudine, populum docere, deque omnibus rebus divinis colloqui. Illud unum caverent, ne quid mortale peccatum, quid veniale esset, definirent, nisi quatuor adhuc annos in litterarum studio posuissent. Quam sententiam tamdiu servaturum se dixit Ignatius, quamdiu in illorum iurisdictione et potestate esset. Neque enim esse aequum, ut nullo vitio in vita deprehenso, nullo errore in doctrina, ianuam tibi ad animarum utilita-

tem obstruerent, ac loquendi libere facultatem eriperent; se sui iuris esse, suaeque vitae rationibus consulturum.» Hactenus Ribadeneira, ex cuius historia licet colligere, quanti fecerit S. Pater hanc libelli sui partem, in qua agitur de peccatis. Etenim, ut illam libere propalaret ad animarum lucrum, Hispanias deseruit, et Parisios cum sociis sese contulit, post annorum aliquot in disciplinis altioribus traductorum curriculum, ibidem Ordinem novum inchoaturus.

Hic finis sit eorum, quae S. P. N. de materia examinis nobis reliquit. Qui licet solam hoc loco tangat peccatorum mortalium et venialium differentiam, discussio tamen culparum venialium, praesertim personis perfectionis studiosis, nullatenus negligenda est in Examine, ut capite sequenti videbitur.

CAPVT XV

QVOD EXAMEN QVOTIDIANVM ETIAM FIERI DEBEAT DE PECCATIS VENIALIBVS ET IMPERFECTIONIBVS

Peccata venialia, ipsasque operum nostrorum imperfectiones, examini quotidiano subiiciendas esse, quantum lux a Deo inspirata, fervorque spiritus nostri fert, indubitata virorum sanctorum et asceticorum doctrina est. «Neque peccata, quae nobis videntur parva, inquit Chrysostomus [1], contemptim practereamus, sed quotidie a nobis rationes repetamus, et verborum, et spectationum, et poenas de nobis ipsis sumamus, ut nos a futuro supplicio liberemus.» Egregius sane stimulus excutiendi culpas quotidianas, «ut nos a futuro supplicio liberemus,» quasi dicat, iudicemus nosipsos, ut

1 Homil. 60. in Genes.

non iudicemur. Si Deus ipse descensurus est, ut nobiscum iudicio contendat, culpasque veniales scrutetur, numquid aequum est de culpis istis ius prius dicere adversus nos, ut iudicium divinum declinemus? Si iudicium hoc negligimus, quid nobis restat praeter poenam a Deo infligendam? Quis modus poenam hanc evadendi, praeter dolorem et satisfactionem? Haec ergo examinis huius officia sunt: inquirere in culpas istas, dolere, proponere emendationem cum satisfactione. Stat igitur, quotidie excutiendas esse culpas leves et veniales. Sint hae culpae frequentes, sint exiguae, attentione fervoreque maiori hic opus sit, quam in examine graviorum, iudicium tamen nostrum subire debent, si desideramus a iudicio divino liberari. «Quia sine peccato, inquit Gregorius [1], electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quae congerit, paulatim tamen anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internae saturitatis.» «Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato [2]?» inquit Salomon. Nemo id ex vero dicere potest; a peccato enim protoplasti hominis genua nostra usque adeo infirmata sunt, ut nemo non claudicet in partem dextram vel sinistram, nemo non teneatur sibiipsi attendere, ne arctentur gressus eius, et currens habeat offendiculum [3]. «Propter quod, inquit Paulus [4], remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret,

1 Lib. 2, in lib. 1 Regum: in illud, «repleti prius.»
2 Prov. xx, 9.
3 Ibid. iv, 12.
4 Hebrae. xii, 12.

magis autem sanetur.» Sanitatem in hoc genere undequaque perfectam, ut nuspiam deflectatur a via recta, Deus Virgini Matri suae largitus est, et fortasse praeterea nemini. Peccata graviora per Dei gratiam plurimi vincunt, qui tamen levioribus non raro succumbunt; tentationes majores superant, et a minoribus superantur. «Magna est, inquit Gregorius [1], omnipotentis Dei dispensatio, et plerumque contingit, quibus maiora bona praestat, quaedam minora non tribuat, ut semper eorum animus habeat unde seipse reprehendat. Quatenus, dum appetunt perfecti esse, nec possunt, et laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen elaborando praevalent, in his quae accepta habent, se minime extollant; sed discant, quia ex semetipsis majora bona non habent, qui in semetipsis vincere parva vitia atque extrema non possunt.» An igitur difficultas firmandi gressus omnes in via rectâ, sive potius quaedam secundum legem ordinariam impossibilitas, remittet manus, et deiiciet animos, ut sanitati integrae non studeamus? Absit, neque enim hoc permittit Apostolus, «Remissas manus, inquit, et soluta genua erigite.» Robur applicetur singulare, ubi difficultas major occurrit, et ubi morbus est pertinacior, adhibeatur medicina frequentior. Quod ad illos potissimum dicitur, qui ratione professionis vocati sunt ad sanitatem et sanctitatem, non qualemcumque, sed quantum fieri potest, plenam. Neque enim ad virtutem aliquam, sed ad grandem perfectamque, his contendendum est. Grandem autem virtutem voco, quae renititur culpis etiam minimis; perfectam illam, cui nihil deest. Etsi enim secundum legem ordinariam peccata omnia venialia evitari non possint, at possunt plurima, et unumquodque

1 Dial. l. 3, c. 14.

in particulari vinci potest. Tanta igitur culpas illas examinandi necessitas est, quanta corrigendi ; tanta vero corrigendi, quanta adnitendi ad perfectionem, non qualemcumque, sed illam, ad quam Christus adhortatus est, quando dixit [1] : «Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.»

Porro studium hoc non illis solis quadrat, quos, quum in virtutum semita adultiores sint, perfectos vocamus, verum etiam iis, qui hoc iter incipiunt, longeque magis. Utrisque, pro viribus in hoc stadio contendendum est; illis quidem, ut magis magisque in incepto progrediantur ; his vero, ne rursum eo recidant, unde emerserunt. Quemadmodum enim ab infirmitate gravi convalescentibus, excessus etiam minimus vitandus est, ne relabantur, utpote ad recidivam magis dispositis; ita etiam illi, qui recenter mundi salebras evaserunt, facile aguntur retro, prae iis, qui magis provecti, ab his sordibus remotiores sunt. Nondum enim habent affectus mortificatos, sed vivos ; luctantur etiamnum cum consuetudinibus adhuc virentibus, majorique lucta progrediuntur quo desiderant. Quamquam enim fraeno timoris Domini, quo primus conversionis zelus illos armavit, iam non ita prosiliant ad decerpendum ex arbore vetita fructum, ut ante hac solebant, stimulantur tamen, ut eodem accedant, et si non gustu, saltem oculis, tantillum inde delibent. Atque hinc fit, ut rursus fraenum excutiant, atque ament denuo, quod oderunt. «Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad maiores,» inquit a Kempis [2]. In parvis enim reculis franguntur affectus etiam pessimi maximique, et occurritur damnis gravissimis, si principiis attendatur. Incipientibus er-

1 Matth. v, 48.
2 Lib. I, c. xxv, n. 11.

go incumbit singulariter levioribus culpis resistere, ne periclitentur de gravioribus.

Quae de vitae spiritualis tironibus hactenus dicta sunt, compendio inculcantur ab ipso Spiritu Sancto quum ait [2]: «Quasi a facie colubri fuge peccata, et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.» Quis peccata maiora effugiat, quae colubris comparantur, nisi qui a minoribus cavet, etsi non colubrorum, sed culicum similia sint? A culpis maioribus tanto magis distat voluntas, quanto remotior est a minoribus; distantior enim est ab odio proximi, qui minimam adversus illum indignationem procul arcet a se; alienior a verbis caritatem laedentibus, qui verbum refugit otiosum; a fornicatione longius abest, qui qualemcumque luxuriae suggestionem toto animo aversatur. Fuga enim haec non fit passibus corporis, sed abalienatione voluntatis, neque satis timet colubrum interficientem animas hominum, qui minimum eius morsum, vel afflatum non formidat; etenim adeo fatui quidam et intrepidi passim sunt, ut metu haud maiore propius ad serpentem accedant, atque si passerculus esset, quo se recreent, et relaxent animum, quum revera appropinquent ad mortem. Propinquus enim odio est, qui indulget irae; propinquus murmurationi, qui temere loquitur; propinquus luxuriae, qui illius imaginatione afficitur; propinquus operibus malis, qui intellectu haud invito illa versare solet. Et quemadmodum invaletudo non magna, si frequentior est, paulatim enervat vires, viresque naturales sensim atterendo, haud aliter mortem accelerat, atque infirmitas gravis; ita etiam venialia robur animi perdunt, virtutumque habitus sic attenuant, ut suboriente

2 Eccles. xxi, 2.

occasione nova, et tentatione valentiore insurgente, voluntatem pronam abripiant in profundum. Atque hinc evenit, ut quantumvis venialia multiplicata non efficiant mortale, constituant tamen hominem praecipitio vicinum, ita ut, quando minime retur, in foveam cadat. Propterea monet sacra pagina: «Quasi a facie colubri fuge peccata: quia, si accesseris, suscipient te,» hoc est, adulabuntur, blandientur, efficient ut omnem mali metum deponas, donec incautus adeo appropinques, ut dentibus in te involent, et interficiant animam.

Ponderatione dignum est, peccata quando serio vitantur, apparere facie serpentina, quae horrorem incutiat; quando vero ad illa acceditur animo procliviori, non serpentem, sed rem amabilem proponi. Transformant se scilicet, figuramque induunt, quae procul arceat metum; quosque ut verissimi colubri, post voluntatis consensum devorant, hos ante consensum, quum ad se appropinquant, recula aliqua delectabili, sed admodum futili, amanter ad se pelliciunt. Haec inimici nostri astutia, et in ruinae nostrae studio pertinacia est; ut si senserit a facie colubri, qua objicitur culpa mortalis, turbari animam, fugamque arripere, timorem pellat, illamque attrahere satagat, formicae faciem induendo, quum proponit peccatum leve et veniale. Patienter fert omnia, etsi laboret in exiguo, lucroque suo etiam permodico acquiescit; sed ansam tandem opportunam nactus, in animam istam insilit, et mortem affert. Haec S. Ephrem praeclare docet, modum exponens, quo virtutibus egregiis praediti, per diaboli versutias, spiritualibus opibus spoliantur, et funditus pereunt [1]. «Introducit, inquit, quae in morbis animi videntur minima, quibus postea totam eorum naturam

1 Serm. Ascetico et Exhortat. Tom. 2.

labefactat. Laqueos in iis, quae in nobis geruntur, consuetudinibus nostris, constituit, quoniam ex consuetudine habitum nobis generat pestiferum, quo alas configimus, virtutes dico, in passione licet exigua, per assuefactionem. Neque solum alas ac pennas, sed et corpus ac animam damno ignominiaque afficimus. Acriter attendamus ad astutiam eius, ne tamquam insipientibus nobis illudat; caveamus eius insidias, quoniam per eas adversum nos decertat, ne dum nos velut ex omni parte securos ducimus, ipse sibi ingrediendi locum inveniat. Si enim, tamquam leonem, firma murorum circummunitione illum arceamus, tamquam canis efficitur, ut propter vilitatem eum minime devitemus; si ut canem excludamus, volucris instar, per fenestram ingreditur; metuimus eum, dum aquilam se exhibet, et mox passerculus apparet, eiicimus ut corvum, et velut apis insilit; quod si his omnibus modis innotescat, culicem se fingit, ut in tantilla figura non exiguum afferat damnum.» Non poterat accuratius exprimi versipellis inimici nostri sollicita fraus, atque avida sitis ruinae nostrae. Non perdit locum aut tempus; figura quaelibet, quantumvis vilis et abiecta, illi cara est. Si nequeat ad mortale inducere, trahere studet ad venialia, etiam minima, spatiumque indulget, ut ex consuetudine generetur habitus pestiferus, qui ducat ad malitiam graviorem. Hoc ipsum insinuat S. Pater, quum ait [1] inimicum nostrum suggerere «quod ex se malum sit.» Si in hac suggestione repellitur, saltem id «quod avocet a bono, aut ad minus bonum impellat.» Si neque hoc succedit, submittit «quod animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet.» Postulat ille multum, sed si modicum quid accipiat, acquiescit, neque de maiori desperat;

1 Reg. 5, ex poster. de Discret.

accipit, quod datur, et ad plura exstimulat. Denique si vincere nequit ut leo, ut aquila, ut corvus, canem se simulat, avem, passerem, culicem; quosque a se avertebat per figuram colubri, allicit per viam planam et suavem culparum minimarum et vix perceptibilium, ut hac ratione securos reddat, et timorem eripiat.

Sed enim inconsiderati illi ruinae suae indicia mox percipiunt manifesta; languor enim orationis, siccitas cordis, oblivio rerum aeternarum, contemptus culparum levium, cordis induratio, aliaque his similia, præcedunt faciem Behemoth [1], signaque sunt serpentem stygium in proximo nidulari. Accedunt timores animi, remorsusque conscientiae, quibus coluber ille dentes suos incipit ostentare; cruciantur tepidi illi, qui neque Deo famulantur, neque mundo, dum utriusque stipendiis sese spoliant; destituuntur enim vitae huius deliciis vetitis, neque adpromittere sibi audent aeternas. Si circa cogitationes carnales negligenter se habeant, dubitant de consensu; si linguae fraenum laxent, torquentur a libertate verborum, ignari an famae proximi detractum sit graviter; si irae indulserint, anxiantur, an haec degeneraverit in odium deliberatum. Vermis iste dies noctesque rodit viscera, ambulantque veluti inter dentes Behemoth, et iam iam deglutiendi ab illo, de quo scriptum est [2]: «Per gyrum dentium eius formido.» Tentationes graviores his esse solent minoris periculi, attentionem enim tunc adhibent et cautelam; maioris periculi sunt leviores ob incuriam, nam interea subeunt «dentes leonis interficientis animas.» Concludentes hoc caput, audiamus Chrysostomum de hac re [3]. «Nullus, inquit, frivola se illa ratione consoletur,

1 Iob, XLI, 15.
2 Ibid. 5.
3 Homil. 87, in Matth.

qua universa protervitas in animam inducitur; illa, inquam, ratione nullus utatur, dicens: Quid est hoc aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur, veterator enim malorum diabolus quum sit, magna malitia, multa opera, ingenti studio condescensioneque nonnulla, ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit... Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi per haec prima ad maiora non progrederentur peccata, non essent tamen haec negligenda. Nunc vero per istam incuriam gradatim semper ascendunt, quapropter omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda. Non enim vim delicti solam consideres, neque quia parvum sit cogites; sed illud praecipue tene, quia si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescet. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam videri, non tanto studio magna peccata esse evitanda, quanto parva et vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit; haec autem, hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt, et dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra.» Haec et plura Chrysostomus. Unde liquet, quotidianum hoc culparum venialium examen incipientibus maxime convenire, ne rursum abeant retro.

CAPVT XVI

QVI PROFICIVNT IN VIRTVTE, ET QVI PERFECTI SVNT, MAIORE NECESSITATE DEBENT EXAMINARE IN DIES, ET CORRIGERE PECCATA VENIALIA

His qui puritatem conscientiae sectantur, et de virtute in virtutem progredi satagunt, culparum etiam

minimarum examen necessarium esse, haud multis opus est ut perspicuum fiat, quoniam non obscure id res ipsa involvit. Quid enim aliud est, seipsum perficere, et in virtutum palaestra fieri meliorem, quam culpis imperfectionibusque minoribus et paucioribus subiacere? Secundum physicam, illa lux clarior est, cui minus tenebrarum adhaeret; ille calor intensior, qui minus frigoris habet; illa denique qualitas perfectior, quae minus participat de qualitate sibi contraria. Consequens est, perfectionem illam maiorem esse, cui minus imperfectionis coniunctum est; illamque sanctitatem magis completam, quae vitiorum nebulis minus offuscatur.

At occurrit hic dubitatio, et quidem prima specie difficultatis non modicæ. Perfectionem evangelicam in rebus magnis sublimibusque positam esse, extra controversiam est, quomodo igitur illam ponimus in rebus parvis? Axioma Sanctorum est, non posse animum rebus modicis contineri, qui ad apicem virtutum aspirat, longe igitur abest a vero, perfectionem in rebus parvis consistere; numquid enim res parva est, renuntiare possessionibus, et relictis omnibus, sequi Dominum? Id tamen postulat Christus, quum ait [1]: «Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.» Numquid res parva est, sic renuntiare honori, ut aequo animo feras iniuriam; sic mortuum esse affectui ad res temporarias, ut iis spoliatus te non defendas; sic libertati, ut vim passus non resistas? Christus autem sic loquitur [2]: «Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram. Et ei qui vult tecum

1 Matth. XIX, 21.
2 Ibid. V, 39.

iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.» Non sunt haec parva profecto, sed maxima. Neque minus hoc [1]: «Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.» Quoniam haec difficillima sunt, qua veritate asseritur, perfectionem in rebus parvis sitam esse, eiusque sectatoribus examinandos esse defectus etiam minimos?

Ad difficultatem hanc responderi potest dupliciter. Primo quidem, perfectionem in quibusdam rebus exiguis sitam esse, sed praesuppositis aliis maioribus, et gravioris momenti; quae nisi supponantur, ridiculum sit, in his minutiis constituere perfectionem. Quiqui nitorem corporis, vestiumque ornatum depereunt, impensius se considerant, ad locum, ad modum, ad situm omnem vanitatum suarum attendunt, his aptandis horas plures traducunt, et identidem speculum tamquam iudicem consulunt; ut bysso splendeant, ut auro gemmisque turgeant, incompositi sibi videntur, nisi rite ordinata sint singula. Quis vero risum teneat, si Thersites haec agat, et candicante pulvere comas aspergat, et calamistro cincinnos crispet, et genas minio tingat, et hac ratione formosus haberi velit? Quis irum digitis non ostentet, si in lacerna mucida et obsoleta, has easdem aliasque plures minutias et corpori et vestimentis suis adhibeat, ut bellus et bene cultus appareat? Labor iste, vel membris vel indumentis decorandis idoneus, supponit corpus et vestimenta, quae patiantur ornatum. Eadem prorsus ratione, virtutes illas excellentes, operaque heroica, quas supponit perfectio, mirifice illustrat

1 Luc. XIV, 26.

splendor actionum etiam minimarum, etsi animam non perficiant, magnis illis virtutibus destitutam; maculae enim, quantumvis levissimae, decora illa maiora deturpant. Ad hanc rem mirifice facit doctrina Abbatis Moysis apud Cassianum [1]. «Nonnullos, mundi huius maximas facultates, et non solum multa auri atque argenti talenta, verum etiam praediorum magnificentiam contemnentes, post haec vidimus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri. Qui si contemplationem cordis mundi fixam tenerent, numquam utique pro parvis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abiicere maluerunt. Nam et plerumque nonnulli tanto zelo codicem servant, ut eum ne leviter legi quidem, vel contingi ab aliquo patiantur, et inde occasiones impatientiae ac mortis incurrunt, unde monentur stipendia patientiae et caritatis acquirere; quumque omnes divitias suas pro Christi amore disperserint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, et pro ipsis nonnumquam mobiliter irascentes, veluti qui non habeant Apostolicam caritatem, ex omnibus infructuosi sterilesque redduntur.» Verissima sane haec doctrina est, atque hinc apparet quantillis reculis perfectio in illa anima labem contrahat, cui caetera maiora non desunt. Quod si haec non adsint, quae virtutum solidarum basim efficiunt, per macularum tenuium fugam non perfici hominem fatendum est; quis enim perfectum dicat, qui licet scalpello, graphio, acu, calamo, non afficiatur perperam, neque horum iactura quidquam commoveatur, facultatibus tamen suis maximis corde adhaerescit, neque rebus illis eminentioribus, ad perfectionem a Christo Domino postulatis, ornatur?

1 Collat. 1, c. 6.

Si ex arboris trunco statuam effingere meditamur, ante omnia ramos rescindimus, cortice illum exuimus, et securim ac serraginem adhibentes, magna sui parte illum privamus. Truncus iste, his peractis, nondum statua est, sed ulterius mutilatur undequaque, et instrumentis aliis atque aliis expolitur, quantumque magis perficitur, tanto particulae deciduae sunt minores. Egregius artifex huic operi si manum apponit, insudantem videas, ut stylo acutissimo etiam id abradat, quod quum cecidit, pulverem refert magis quam materiam ligni. Quisquamne igitur inficias ibit, perfectionem statuae pendere a minimis? Quod si vero hic idem artifex labori huic minutulo incumbat, et non nisi particulas illas minimas ab hoc ipso trunco avellat, quando iste ramis suis, et cortice, et exterioribus partibus inutilibus etiamnum vestitur, quis non arguat ineptiam hominis? quis imaginem inde speret perfectam? Eodem modo ille, qui a mundo ad Deum convertitur, terrenis affectibus gravis, et vitiorum inveteratorum habitibus oneratus, ante omnia per poenitentiam suique victoriam haec rudiora rescindat necesse est, et vitam discat vivere christianam. Hac quidem ratione Christi quaedam imago efficitur; verum hactenus adeo inculta et imperfecta, ut sacras illas imagines referat, quae nonnumquam in plateis occurrunt, tot refertas defectibus, ut quantumvis assequatur spectator quid repraesentatum velint, pietatem tamen exstinguant magis, quam accendant. Tales igitur illi sunt, qui virtutem iam adeptam per ulteriorem Christi Domini nostri imitationem non perficiunt, quae imitatio in rebus tanto minoribus sita est, quanto magis perficitur, altiusque ascendit virtus. Quis vero illos perfectos dicet, qui minora quidem haec sollicite curant, sed affectibus pessimis, et inordinatis habitibus pleni sunt? Tale videri

potest ieiunium Iudaeorum, teste Isaia [1], summopere Deo displicens. Ad lites, inquit, et contentiones ieiunabant, et percutiebant pugno impie. Per diem affligebant animas suas, contorquebant quasi circulum caput suum, ut dolorem sibi inferrent, saccum et cinerem sternebant pro cubili, atque in his ponebant perfectionem suam; et interea eripiebant impie substantiam alienam, et esurientibus ac egenis nihil dabant de sua. Ipsissima haec iustitia pharisaica est, quam verbis adeo emphaticis reprehendit Salvator [2]. «Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem.... excolantes culicem, camelum autem glutientes.... Mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia.... Similes estis sepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.» Vtinam christiani plurimi non sint horum similes, intus pleni rapina et immunditia, deforis autem devotionis frigidae apparentiam praeferentes, nihilque praeterea possidentes. Sequitur ex dictis, sic in rebus istis minimis stare perfectionem, ut res maiores supponat; his suppositis, virtutum praestantium possessori sollicite incumbendum esse, ut defectus suos exiguos eradicet.

Ad difficultatem propositam etiam aliter responderi potest, admittendo in rebus illis magnis virtutum perfectarum excellentiam sitam esse, ita tamen, ut ad res etiam minimas se extendat. Id inculcat a Kempis locis pluribus, ut quum ait [3]: «Domine, quoties me resignabo,

1 Isai. LVIII, 4.
2 Matth. XXIII, 23.
3 Lib. III, c. XXXVII, n. 1.

et in quibus me relinquam? semper et omni hora, sicut in parvo, sic et in magno; nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inveniri volo. Alioqui, quomodo poteris esse meus, et ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus?» Notissimum est, Sponsam Canticorum quum nocte quadam decubuisset, advenientem ad se Sponsum, et ingressum postulantem, adegisse ut declinaret adque transiret. Declinationis huius et transitus causa haec erat, quod Sponsa ostio cubiculi sui pessulum obdidisset. Pessulum hunc interpretatur Richardus a S. Victore [1] negligentiam quamlibet, etiam minimam, animae perfectae, quae Sponsum divinum ab illa potest alienare; puta conversationem, cogitationem non undequaque rectam, studium commodi sui, recreationem corporis, libertatem sensuum, et similia. Quando his immiscetur aliquid vel inutile, vel superfluum, pessuli nomine haec venire possunt; res enim parvae sunt, ut pessulus: sed totam ianuam Sponso occludunt, quo minus ingrediatur cordis nostri cubiculum, illudque gratiis suis ditet. Numquid pisciculus parvus est, quem remoram vocant? Hic tamen navim maximam sistit, immotamque tenet, nihil agentibus et remis et ventis, ut cursum haec suum promoveat. Res intellectu difficilis, quam tamen docuit experientia. Defectus quilibet ad virtutum perfectionem aspirantibus remora est. Liquet igitur, ob utramque rationem iam dictam, et proficientibus et perfectis, ad arcendas culpas leves et imperfectiones, strenue laborandum esse, atque his examinandis dandam esse operam diligentem, diligentiorem etiam emendandis.

Hoc ut agant, adiumenta sese offerunt tanto maiora, quanto anima magis proficit. In primis enim, ultra ex-

1 Cap. 38, in Cant.

perientiam studiumque proprium uniuscuiusque, ad defectuum minorum notitiam confert plurimum lux divina, per quam anima procedens de virtute in virtutem, transit etiam «a claritate in claritatem [1].» Anima enim magis illustrata, errores suos clarius intuetur, ut docet idem Richardus [2]; quantoque altius ascendit, tanto viliorem sese agnoscit. Tunc enim apparet, cogitationes plurimas, et verba, et actiones peccata esse, quae antehac non reputabantur peccata. Similitudinem affert Bonaventura [3] radii solaris per fenestram immissi; ut enim accuratione omni domus mundata sit, ad hanc tamen lucem comparent sordes hactenus latentes, ipsaeque atomi palam se produnt. Ad hunc modum animus, quem divinae gratiae lumen irradiat, affectuum suorum naevos, et vitiorum minorum afflatum magis assequitur. Quantum puritas animi crescit, tanto illi sua immunditia exploratior est; quique virtutibus sublimioribus splendet, plures sui deprimendi reperit causas. Ita sentiunt Sancti communiter. Non invenias in ullo genere artificem excellentem, qui lapsu temporis non censeat ipsemet, opus suum imperfectum esse, et emendationis indigum non unius, quod in principio arbitrabatur numeris omnibus absolutum; imperiti artis asserent, frustra hos artifices laborare, veluti qui rem actam agant, sed periti aliud iudicabunt. Sic etiam anima, opitulante experientia luceque divina, quum ad eminentiorem virtutis gradum processerit, deprehendit, detestatur, et corrigit ea, quae hactenus ignorabat. Contraria enim contra se posita quasi facem accendunt, ut se mutuo aperiant, magisque innotescant. Quanto

1 2 Cor. III, 18.
2 Cap. 34, in Cant.
3 Specul. par. 2, c. 3.

vestis candidior est, tanto facilius detegitur macula; quanto sanius corpus, tanto sensibilior minima intemperies. Erubescet vir nobilis, die etiam feriato, dum incedit habitu tantillulum incomposito ; pauperem vero, eodem habitu illo indutum, vel ipso die Paschae, inflabit superbia. Anima candens virtutibus, detegit maculas suas etiam minimas, et spurcitiam levissimam aversatur; anima bene sana, Deoque suo coniuncta, male afficitur erga imperfectionem quamlibet, levissimoque voluntatis inordinatae motu turbatur. Animam, et a natura, et potissimum a gratia, nobilitatis esse eximiae negari non potest, atque ipsa compertum habet; quando igitur dignitati, per peccatum deperditae, restitutam Deoque caram se esse intelligit, non opus est centonibus filii prodigi illam circumdari, ut verecundetur; sufficit ornatus dignitatisque suae imminutio quaelibet, ut eam detestetur et horreat. Quotquot enim virtutes possidet, tot monitores atque excitatores intra se continet, ut defectus etiam minimos aversetur.

Ad priora fugandarum culparum leviorum incitamenta, superaddi possunt alia, quae culparum earumdem aversionem et horrorem incutiant. Tanto scilicet in viro perfecto graviorem esse defectum quemlibet, quanto magis is obstringitur hoc defectu carere. Etenim peccata, quae incipientibus levia reputantur, censentur gravia in perfectis, ut docet Isidorus Hispalensis [1]; peccatum enim augetur a dignitate peccantis, et secundum mensuram meritorum crescit mensura delicti, et in personis maioribus castigationem subit, quod in minoribus condonatur. Praeterea, sicut perfecti singularem a defectibus venialibus patiuntur iacturam, ita ab his abhorrere debent titulo singulari. Motivum

1 De Summo bono cap. 8.

hoc in imperfectis non habet locum, utpote qui levioribus culpis impliciti nihil perdere sibi videntur, vixque damnum intelligunt quod ipsa parit culpa lethalis. Quantam vero perfecti etiam a levibus referunt cladem? Destituuntur favore Dei speciali, privantur gratia devotionis, aversam sentiunt Dei faciem, quum ad illam accedunt; supplicium sane pergrave, dulcedinem divinam expertis. Sed neque illi, qui Deum diligunt corde toto, quotiescumque mandatis eius parendum est, ad hoc attendunt an mandatum grave sit, an leve; at hoc unicum spectant, an mandatum sit; et salva semper differentia peccati mortalis et venialis, nullum illis apparet mandatum parvum, quando magnus est is qui mandat. Vniversim et sine diverticulis cum sanctissimo Davide dicunt [1]: «Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.» Hoc sensisse videtur Basilius, quando docuit viros religiosos de culpis etiam levissimis corripiendos esse. Sic enim quaerit [2]: «Si quis de levissimis etiam peccatis fratres acriter nimis urgeat, ac dicat de iis poenitentiam eos agere debere, numquid is inclemens habendus est et eversor charitatis?» Et respondet: «Quum asseveranter Dominus affirmaverit, quod iota unum, aut apex unus non praeteribit a lege, donec omnia fiant; quumque idem etiam pronuntiaverit, quod omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii, nihil omnino tamquam minutum contemni debet; qui enim rem contemnit, inquit, contemnetur ab ea. Quamquam quis est, qui peccatum ullum, cuiuscumque modi illud sit, leve audeat appellare? Quum asseruerit Apostolus, quod per transgressionem legis Deum inhonoras.» Haec Basilius'

1 Ps. CXVIII, 4.
2 Regula 4, ex breviorib.

vim in eo constituens, quod nullum peccatum leve sit, propterea quod peccatum omne adversetur legi divinae, et qualicumque legis violatione legistatoris honori iactura inferatur.

Hoc vero proprie concernit viros spirituales et perfectos, qui sibi in omnibus praefixum habent Deum, ut legis auctorem, non vero imperfectos, qui solam sibi praefigunt legis materiam. Inter ministros regios, quorum alii sunt a cubiculo, alii a culina, haec differentia est: hos flocci facere voluntatem regiam in re minima, sed illam solam aestimare, quae poenas graves intentat; illos autem, utpote in oculis positos, et in regis praesentia famulantes, mandatis gravibus et levibus aeque diligenter obsecundare. Si enim defuerint in minimo, quoniam in praesentia regis versantur, verentur merito, ne rex faciem suam avertat, eiusque gratia et speratis favoribus excidant. Idem prorsus evenit illis, qui posteaquam oculos sensusque omnes perituris rebus clauserunt, familiariter conversantur cum Deo. Quod si illi, qui in conspectu Dei stant, eidemque in eius praesentia famulantur, Deum timent offendere, iudicantque se officii servilis debito, honorique Domini sui deesse, si voluntati eius vel in minimo refragentur; quid de animabus illis censendum est, quas divina Maiestas non habet ut famulas, sed ut sorores, et ut sponsas? Dicamus id, quod Augustinus de peccatis venialibus dicit [1]: «Quae quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium, et adulterium, vel caetera huiusmodi; tamen omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, necant, et nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi, speciosi forma prae filiis hominum, castissimis amplexibus separent.» Qua

1. Homil. 50, inter 50, cap. 3.

ratione venialia multiplicata necem animae inferant, superius dictum est, etenim ad hanc mortem disponunt; et ut spiritum non occidant, per se tamen turpitudinem quamdam afferunt, et illorum quodlibet ictu modico animam sauciat, eamque reddit leprosam et spurcam. Quid autem miri ab illorum multitudine foeditatem istam produci, quum Bernardus etiam paucula vocet [1] «Deformitatem, neque interim mereri animam illam audire: Tota pulchra es, amica mea?» Quod si studium tam sollicitum, tamque exquisita diligentia passim adhibeatur, ut corpus pulcritudine sua humanis oculis placeat, ne miremur animas, quadantenus favores Sponsi sui expertes, ornamento suo studere, ut decorem hunc Rex concupiscat.

Motivis, ad ingenerandam culparum levium alienationem propositis, superaddi possunt etiam haec. Primo, figendum semper mentis oculum in exempla perfectiora, utpote quae sint tacita quaedam admonitio, vivaque reprehensio defectuum nostrorum. Documentum hoc, quod momenti sane permagni est, audiatur verbis Gregorii, qui de iusto sic scribit [2]: «Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis sit, tales debet conspicere, qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte quae sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit foeditatem suam, quam in seipso, et potest perpeti, et sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare, ut in illa videat, quid de tenebris aestimet, per quas videre praepeditur. Peccator namque

1 Serm. 29, ex parvis.
2 XXIV Moral. 6 alias 9.

si, incognita vita iustorum, semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit; videre enim se non potest, quia fulgorem lucis nesciens, quum seipsum conspicit, quid aliud, quam tenebras, attendit? Iustorum ergo debemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species, quasi quaedam forma, nobis imitanda proponitur, quia viva lectio est vita bonorum.» Et post multa in rem eamdem sic pergit [1]: «Sed haec reprobi nesciunt, quia mentis oculos semper in infimis premunt; quia et si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se praeferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores se esse gloriantur; et idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere aestimant, quod pessimos antecedunt.» Haec Gregorius. Vt igitur culpae propriae, etiam leves, ad cognitionem nostram perveniant, conducit plurimum perfectiorum exemplum, exstimulatque acriter ut illas detestemur.

Ex hoc motivo sequitur aliud, timor scilicet ne aliis praebeam exemplum malum, et per eos, qui defectus meos observant et imitantur, introducatur acedia inter fratres, relaxeturque disciplina religiosa. Etenim, quum reperiantur nonnulli desides, qui pigritiam suam lactant illorum factis ex exemplis, quos constat malos esse, quique sibi blandiuntur, si sese aliquantulum hisce meliores comperiant; quanto magis confirmabuntur horum vitia, si exemplo malo praeeant illi, qui in omnium animis virtutis existimationem asciverunt. Procul dubio his, qui sublimiorem virtutum gradum pro-

1 XXIV Moral. 6 alias 9.

fitentur, et veluti regula viva caeterorum oculis expositi sunt, quaedam actionum diligentius excutiendarum incumbit necessitas. Quod enim in persona illorum particulari fortasse leve est, id quum ad convictores caeteros, istius vitii conscios, se extendit, fit gravissimum. Heu quot damna, quamque immedicabilia detrimenta nasci videmus, ex defectus levioris contemptu! Praesertim si deficiant illi, quorum erat exemplis melioribus antecedere. Quidam incipit violare silentium, paulo post liberius garrit, et profundit verba quovis tempore et loco, familiaritates ambit inutiles et otiosas, socios quaerit, neque enim secum ipse sermocinari potest. Intra dies haud multos, imitatores et sectatores habet complures, qui loquacitatem istam censurant, ut malum non grave. Labente tempore, fraternae charitatis sanctaeque benevolentiae velo palliabitur haec dicacitas, sine qua non possit inter homines unio conservari. Denique, nisi principiis obstetur, fabularum gannitus, patrocinantibus languidioribus, ad toleranda onera, et occupationes, et ministeria Religionis necessarius iudicabitur; imo imprudentiae et temeritatis condemnabitur Superior, qui apponit manum remedio. Vnde, obsecro, mala haec, nisi a culpis levioribus? Quando istae primitus dissimulantur, et acceleratis antidotis non sistuntur, sub rationum apparentium velamine, ipsae culpae mox defensores inveniunt homines spiritu vacuos, et in consuetudinem abeunt, et in vivendi regulam traducuntur, primo quidem probatam ipso facto communiter, deinde verbis etiam propugnatam a pluribus. Efficacissimum igitur culparum venialium et defectuum leviorum examinandorum excitamentum est, zelus observantiae, amorque disciplinae, ut cum Davide dicamus [1]: «Domine, dilexi decorem domus tuae.»

1 Ps. xxv, 8.

Non transeamus ad caput sequens, praetermissis poenis purgatorii, quibus post hanc vitam culpae veniales etiam levissimae subiacent. Sed quoniam loquimur perfectis, vim nunc quidem in poena sensus non pono, quamquam ea tanta sit, ut deterrere plurimum ab hoc reatu possit etiam imperfectos; sed in poena damni, et visionis beatae prorogatione. Huius enim minima protelatio poena summa est sitientibus fontem aquarum viventium; consentiunt enim huic qui dicit [1]: «Melior est dies una in atriis tuis super millia.» Si ergo defectus levis vel una die detineat animam in Purgatorio, conspectumque Dei retardet; moram hanc mille curis, mille lacrymis, mille cruciatibus redemptam optant, quoniam una dies in atriis Dei millenis aliis anteferenda est.

CAPVT XVII

CAPITA AD QVAE REDVCI POSSVNT PECCATA VENIALIA, VT EXAMINENTVR, ET IN CONFESSIONE DETEGANTVR

Ad removendam difficultatem, quae in peccatorum venialium atque imperfectionum examine occurrere potest, haud abs re fuerit, ad certa quaedam capita et determinata hoc omne culparum genus deducere, quae manuducant animam, ne labore contentiore, fructuque minori in hoc exercitio divagetur.

Ad tria capita culpae omnes referri possunt: nimirum, COGITATIONES, VERBA, ET OPERA.

Cogitationes oriuntur, vel «a nobis,» vel «a mundo, a daemone, a carne,» inimicis nostris; vel «a spiritu bono,» qui a Deo egreditur, et conducit ad Deum. His

1 Ps. LXXXIII, 11.

quinque cogitationum generibus, cum proportione respondent genera totidem verborum et operum, quibus culpa vel imperfectio subesse potest.

COGITATIONES OTIOSAE

Cogitationes, quae a nobisipsis nascuntur, ordinarie sunt illae, quas otiosas vocamus; quales sunt, evagatio mentis ad res inutiles, ratiocinationes ad nihil servientes, dispositiones de rebus numquam futuris, timor eorum quae numquam accident, spes eorum quae numquam evenient. Alias populis leges condimus potestate regia, alias potestate ecclesiastica ius dicimus, alias inter barbaros agimus ut Apostoli, alias tormentis subiicimur ut Martyres, alias miracula patramus, qui peccatis operti sumus. Centum aliis phantasiis istiusmodi illuditur vis animi imaginativa; dumque illis equis vecti magnum iter conficimus, ad rem praesentem non attendimus, quae hic et nunc curae nostrae committitur.

VERBA OTIOSA

His cogitationibus respondent verba, quae omni utilitate fructuque carent, et propterea otiosa dicuntur.

OPERA OTIOSA

Sunt et opera otiosa, vel quia perditur tempus, nihil agendo, vel quia id quod agitur, nullius fructus est; si enim verbum infructiferum dicitur otiosum, tale opus aeque ac magis hoc nomen meretur. Huc spectant colloquia, quae ad nihil conducunt, ludi superflui qui recreationis honestae mensuram excedunt, visitationes profusiores, excursiones exorbitantes. Etsi enim dici soleat, atque ita sit, naturam non ferre spatium ab omni prorsus opere vacuum; lagena tamen, quae aere

repletur, vacua dicitur, quoniam eo caret, ad quod fabricata est. Sic etiam, etsi nullum nobis transeat tempus usque adeo otiosum ex omni parte, ut nihil prorsus agamus, otiosum tamen dicitur, quum non agitur id quod agendum est, vel quum id, quod agitur, sine fructu est. Tempus nobis pretiosum et breve, ut promoveamus salutem nostram, illamque in tuto collocemus. Creaturis caeteris omnibus in coelo et in terris opera sua praescripta sunt; hominem, principem aliarum, nihil agere in hoc mundo, displicet Deo Creatori, quem vult esse plantam benedictionis, et cogitationibus, et verbis, et operibus fructificantem. Commiseratione digni sunt steriles illi, qui non alio fine transigunt tempus, quam ut transeat. Infelices animae! mundum hunc ingressae sunt ut agant, et nihil agunt.

COGITATIONES VANAE ET SVPERBAE

Secundo loco veniunt cogitationes vanae, quae mundo propriae sunt, mundo, inquam, inimico nostro. Hae ordinarie sunt, vanitas, existimatio propria, praesumptio, superbia; quaeque hinc sequuntur, proximi despectus et contemptus. Hinc illà in animam ingreditur quasi idololatria, qua quilibet seipsum adorat, intra se collocando seipsum loco alto et eminenti, contemplando dotes suas, illis acquiescendo, illas admirando, desiderando ut alii sibi curvent genu tamquam maiori, existimando praerogativam hanc sibi deberi. Hinc ambitio nascitur, et quod vocant punctum honoris, concomitante desideriorum, curarum, timorum exercitu, circa munia, locum, officia urbanitatis. Et quemadmodum ventosa tormina intestinorum in corpore, ita cogitationes istae in spiritu, dolores acres et continuos, inquietudines, et tristitias procreant.

VERBA IACTABVNDA

His cogitationibus iunguntur verba iactantiae, laudis propriae, ostentationis vanae, sive aperte, sive occulte, et cum aliqua dissimulatione, fictaque modestia; ita ut seipsos laudent quum deprimunt, excusent quum accusant, quumque alios attollunt, seipsos anteferant. Vulgatissimae sunt hae fraudes, et latentem superbiam perfecte occultare non possunt.

OPERA AMBITIOSA

Opera mundi sunt, quae pullulant ex ambitione, ut quaerere primos accubitus in mensis, et primas cathedras in synagogis, teste Christo. Mirum, qua ratione, et unde spiritus hic pharisaicus in illos etiam ingressus sit, qui perfectionem evangelicam sectantur; ita ut deposita larva et aperte pro his pugnent, affligantur quando his carendum est, et conatu toto haec assequi studeant. Huc etiam pertinet genus omne hypocrisis, fictionis, dissimulationis; ut esse videamur, qui tamen non sumus, atque aestimemur ultra meriti nostri mensuram. Item, quando operis intentio sinistra est, haec enim inficit opus, etsi alias bonum; quando scilicet applausum aliorum, aestimationem vanam, gloriamque humanam venamur. Hanc honoris mundani et superbiae tentationem superare, perdifficile est; videturque diabolus huc dirigere pharetrae suae sagittas omnes, ut S. Pater in exercitio de duobus Vexillis annotavit, atque in Parentibus nostris primis patuit, quibus illud suggessit, «eritis sicut Dii.» Ex illorum lapsu, omnes posteri eorum ex hac parte claudicamus.

COGITATIONES CARNALES

Tertium locum tenent cogitationes omnes, quae ad

carnem pertinent. Inimicus importunissimus caro est, et qui fugari non potest. Cogitationes inimici huius concernunt commoda, epulas, delectationes sensuum. Vt quando cogitatio de cibis praevenit horam refectionis; vel desiderantur edulia delicata, ob quam culpam filii Israel in deserto poenas dederunt; vel quando immergitur intellectus discursibus de ratione, qua gustui deliciisque cuiuslibet sensus satisfaciat; vel quando occurrunt cogitationes turpes: periculosae haec res aleae est, bellumque molestum, quod incendit inimicus domesticus, quem cogimur sustentare.

VERBA INHONESTA

Ad has cogitationes pertinent verba, quae generatim a fidelibus arcet Apostolus, quum ait [1]: «Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet.» Primo igitur, non loquendum de peccato ullo inhonesto; haec enim omnia exulare iubet Apostolus tribus verbis prioribus «fornicatione, immunditia,» (qua voce designatur omne opus obscaenum, per oculos, tactus, cantilenas etc.) et «avaritia.» Quo vocabulo, si Hieronymo credimus, metaphorice sumpto, denotantur ii, qui numquam saturi, absque limite et mensura se effundunt in omne genus delectationis carnalis. De his omnibus vitiis nihil inter christianos audiendum est, neque de his disserendum, etiamsi sermo ad declarandam vitii turpitudinem et malitiam institueretur. Atque hoc annotatur in Catalogo «quibus de rebus nostri recreationis tempore colloqui possint.» Vbi sic dicitur [2]:

1 Ephes. v, 3.
2 Instruct. 13, pro renovat. spiritus, cap. 9 num. 8 et 9.

«De virtutibus, iis praesertim, quae Religiosis particulares sunt, idque iuxta gratiam et proprietatem nostrae vocationis. De vitiis contrariis, non tamen carnis.» Etsi enim intentio bona sit, spiritus tamen inde infirmatur, imaginatio turbatur, materia tentationibus subministratur. Secundo loco prohibet Apostolus «turpitudinem,» hoc est, verbum quodlibet, quod possit rei inhonestae ideam menti imprimere; qualia ad iocum et risum discursibus interseri solent, idque dissimulanter et subtiliter, ita ut res turpis non quidem nominetur, sed tamen significetur et proponatur. Porro haec verba malitiam continent tanto graviorem, quanto acrius movent phantasiam. Tertio loco ponit «stultiloquium et scurrilitatem,» designando verba et narratiunculas, quae non alio fine proferuntur, quam ad risum et cachinnos. Ista enim sermonis levitas levitatem morum inducit, mores autem leviores accedunt ad inhonestos, sicut e contrario morum gravitas ioculares facetias fraenat. His adiici potest examen sermonum de cibis, de condimentis, de vinis, de odoribus, de corporis ornatu, de musica, de conviviis, de spectaculis, caeterisque ad delicias sensuum pertinentibus; quando homo, etsi reipsa iis non fruitur, illorum tamen cogitatione et sermonibus delectatur.

OPERA CARNIS

Opera huius generis sunt excessus omnis circa nutrimentum, sensuumque delectationes, praesertim obscaenas. Rigide nimirum continendus visus, auditus, tactus, gustusque ciborum et potus, quantum ad quantitatem, qualitatem et affectum, quibus homo non raro sic abripitur, ut suiipsius obliviscatur.

COGITATIONES A SPIRITV MALO

Quarto loco accedunt suggestiones diabolicae. Spiritus hic tristis est et amarus, humani generis hostis declaratus, de quo Christus [1]: «Ille homicida erat ab initio.» Cogitationes ab illo provenientes, halituque eius accensae, sunt tristitia, amarities cordis, taedium rerum spiritualium, invidia bonorum alienorum; si quid adversi nobis contingat, indignatio, ira, odium, suspicio, iudicium temerarium, quo alterius intentionem interpretamur malam, quae forsitan bona est.

VERBA ADVERSVS PROXIMVM

Verba his respondentia sunt, mendacia, machinationes clancularíae, susurrationes, disseminationes discordiarum, verba cholerica, licentiosa, iniuriosa, contumeliosa in praesentes, detractoria in absentes. Huc reducuntur signa indignationis internae, qualia sunt, obvertere tergum, recusare loquelam, et similia.

OPERA VINDICTAE

Sunt ea, quae vel fiunt, vel omittuntur, ut alteri molestiam crees, aut te vindices. Notandum, in supradictis voluntate deliberata perpetratis, et in materia gravi, peccari mortaliter.

CIRCA EXERCITIA BONA

Ultimo loco excutiendae cogitationes promanantes a spiritu bono, quae universim ad maiorem perfectionem impellunt. Examinandum igitur, an inspirationibus bonis obsequuti sumus, an proposita bona executioni mandata, an subierit negligentia in poenitentiis et cor-

1 Ioan. VIII, 44.

poris castigatione, an exercitia spiritualia debite fiant; quanta accuratione serventur additiones et instructiones Patris spiritualis, quomodo serventur Regulae et mandata Superiorum, quale sit exercitium virtutum, etc. Si haec quinque capita, ad quae reduci possunt peccata venialia, defectusque praecipui, qui frequentius redeunt, memoriae imprimantur, et per horas singulas excutiantur occupationes istius diei; haud erit difficile, defectus invenire, quos hora qualibet incurrerimus.

CAPVT XVIII

DE FINE EXAMINIS, SIVE FRVCTIBVS QVI INDE REFERRI DEBENT

Posteaquam capitibus praecedentibus actum est de modo et forma huius Examinis, et de materia eiusdem, sive de culpis et defectibus, super quibus instituendum est; sequitur ut de eiusdem fine agamus, sive de fructibus ex hac disquisitione referendis. Vt fructus hosce referamus, examen ipsum examinandum est, an scilicet eo ritu fiat, ut finem suum assequatur. Omnia exercitia spiritualia, omnesque generaliter actiones nostrae per examen perficiuntur, ut dictum est; actiones illas discutimus, quando in examine super illas reflectimus, ut inspiciamus an iuxta regulas et rectum ordinem factae sint, finemque suum contingant. Quoniam igitur examen omnia perficit, convenit examen ipsum perfectum esse; ut ergo perfectum sit, necesse est examen ipsum examinari; ut autem rite examinetur, necessarium est eius finem cognoscere, quidve per hoc exercitium intendamus.

Finis hic reducitur ad duo capita. Primum est, conscientiae purgatio, secundum confessio peccato-

rum. Haec vero duo capita in idem recidunt; confessio enim sacramentalis efficacissimis purgandae conscientiae remediis accensenda est. Hunc utrumque finem Examinis assignavit S. Pater in ipso huius exercitii titulo, qui sic habet: «Examen conscientiae ad purgationem animae, et ad peccatorum confessionem utilissimum.» Haec conscientiae purgatio consistit primo in obtinenda culparum remissione, quam tum per examen ipsum, tum etiam per confessionem, consequimur; deinde in abstersione reliquiarum, quae ex peccatis remissis etiamnum supersunt. Etsi enim reconcilietur Deo, qui rationis limites praetergressus est, et post concupiscentias suas abiit, quando serio ad cor revertitur, remissisque culpis restituatur statui gratiae; intra se tamen remanere sentit hospitis male admissi reliquias, affectus pravos, inclinationes etiam peiores, quas peccatum peperit, et consuetudo nutrivit. Hae autem reliquiae non tolluntur cum culpa; purgatione multiplici opus est, et luctamine forti atque perseverante, ut ab habitu vitioso mundetur anima, orneturque virtutibus. Haec vero mundities communiter per examen particulare acquiritur, ut suo loco dicetur.

Vt ad rem, quam agimus, redeamus, constat evidenter, examen hoc generale conferre plurimum «ad purgationem conscientiae» de peccatis praeteritis, si per puncta assignata rite instituatur. Duo enim sunt necessaria, ut a peccatis purgemur; unum est peccata cognoscere, alterum cum proposito emendationis eadem detestari. Hanc detestationem subsequitur confessio, de qua postea. Vt autem peccata cognoscantur, iuvat punctum secundum Examinis, quo petitur a Deo lumen et gratia ad hunc finem. Iuvat itidem tertium, quod inquirit in peccata, ut in memoriam redeant. Vt vero eadem aversemur, iuvat quartum et quintum punctum,

quo dolemus, et emendationem proponimus. Ad hoc utrumque iuvat plurimum beneficiorum divinorum recordatio, et gratiarum actio de iisdem, quod agit punctum primum. Tota igitur Examinis forma ad purgationem culparum dirigitur, atque ad hunc ipsum finem tendunt similitudines omnes, quibus SS. Patres naturam et necessitatem exercitii huius describunt. Etenim si examen hortulano comparetur, hic ante omnia nosse debet, quaenam herbae malae, quae bonae sint, ut deinde malas sedulo eradicet, hortumque suum germine bono, floribusque colore gratis et odoriferis, repleat. Si assimiletur medico, huic primum natura morbi scrutanda est, tum applicanda remedia ut tollatur. Si sit instar patris familias, qui rationem ponit cum servis suis, huic primum summa debiti et crediti inquirenda est, tum ineunda ratio pluris vel minoris. Si iudicii simile sit, iudicii causa prius cognoscenda est, quam condemnetur reus, et respublica cive malo privetur. Vnica harum similitudinum differentia est, quod neque hortulanus ut herbas malas detestetur, neque medicus ut aversetur morbos, neque pater familias ut corrigat oeconomi fraudes, neque iudex ut abhorreat delictum, indigeant cura aut attentione, laboreque ac exercitio singulari, id vero requiratur in evellendis peccatis. Quum enim peccata defectusque nostri a libera voluntate proficiscantur, et venenatae quaedam herbae sint, sed appetitui gratae; morbi, sed placentes; damnosa res, sed lucrum quoddam praetexens; non sufficit peccata defectusque nude cognoscere, sed his cognitis cura laboreque opus est, ut illos detestemur et emendemus.

Ad fructus hos consequendos confert plurimum solitudo et requies, tempusque et locus ad hoc opus idoneus. Quemadmodum enim in fervore conflictus non sentiuntur vulnera, quae deinde cessante pugna dolo-

rem et sollicitudinem afferunt; ita etiam, fervente passione quacumque, non persentiscimus culpas, postea vero in solitudine et quiete, malitia foeditasque illarum detegitur. Non immerito ponderat Chrysostomus, ut supra retulimus [1], Davidem elegisse silentium et cubile suum, ut de iis, quae per diem dixisset, in corde suo compungeretur. «Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.» Occupationes enim, et curae, et congressus aliorum, et res necessariae, et molestiae, et mille alia impedimenta momentis singulis occurrentia, non patiuntur malorum nostrorum sensum; supervenit sensus ille, quando nox appropinquat, quando negotiorum finis est, quando desinit fervor diurnus, quando paulum quievit ac dormitavit animi tumultus, quando tempus adest, quod desiderabat Iob, quum diceret [2]: «Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum.» Ob eamdem rationem, qua Chrysostomus cum Davide quietem noctis requirebat ad examinandos effectus diei, Deus ipse, teste Philone [3], quietem sabbati instituit, ad discutiendos excessus hebdomadae. «Vates Hebraeorum, inquit, septimum quemque diem, sabbatum sive quietem nominat; non, ut quidam putant, quia post sex dierum spatium populus abstinebat a consuetis operibus, sed quia septenarius numerus, tam in mundo quam in nobis, confessione omnium habetur pacatissimus, et a seditione, bello, contentione alienissimus. Attestantur mihi, quae nobis insunt, potentiae; harum enim sex indesinenter bella terra marique concitant, quinque sensus, et sermo qui profertur. Illi desiderio sensibilium, quibus se non potiri aegre ferunt,

1 Cap. I.
2 Iob, x, 20.
3 Libro de Abrahamo, initio.

hic per os effrene multa silenda effutiens. At septima potentia, nempe mens, caeterarum dux, quando in potestate illas sex retinet, et perdomitis eis in secessum se recipit, amans solitudinis, et contenta secum ipsa colloqui; tum demum, a curis ac negotiis mortalibus liberata, vitam serenam tranquillamque complectitur.» Ita ille. Haec igitur potentia septima, sive conscientia, ut iudex, iurisdictione pollet legitima, neque veretur quaestionem instituere, et reprehendere, vel terrendo, si per malitiam vel contumaciam peccatum commissum sit; vel admonendo, si per inadvertentiam aut fragilitatem patrata sit culpa, ne deinceps iterum redeat. Docet ergo conscientia, quodnam sit uniuscuiusque officium erga se, et qua ratione respublica nostra interior gubernanda sit. Distinguere docet inter illa, quae per malitiam, et quae per ignorantiam aut fragilitatem peccavimus; atque ad iudicii huius institutionem quiete opus est, quum Deus praeceperit, ut ad hunc finem populus procul esset ab omni opere. Quando enim orationi et compunctioni vacamus, mala plurima deprehendimus, inquit Richardus [1], quae ex animi impetu temere inconsiderateque admisimus; multaque sibi dictat homo contra conscientiam, ex quodam fervore spiritus, quae deinde orationis tempore reformat et moderatur, perque lucem divinitus illabentem ad consilia convertitur saniora. Debemus igitur ea, quae minus prudenter et praecipitanter admisimus, deinde diligenter excutere, attenteque perpendere, an iusta vel iniusta, utilia vel noxia sint. Hoc Richardi consilium apprime necessarium est. Verissimum enim est, insensibilitatem et excaecationem ordinarios peccati comites esse; eos autem, qui de his magis participant, de seipsis me-

1 Lib. 2 de erudit. interior. hom.

liora sentire, et inducre frontem meretriciam, et corde adeo obdurari, ut neque timore Domini, neque verecundia humana, tangantur. Quicumque talis est, hic indiget enimvero viarum suarum examine longiore et accurato, ut in se reflectat animum et super se, atque verecundetur sui; et posteaquam se inspexerit, compunctionem suscitare conetur, qua frangat duritiam cordis, et timori Dei locum det. Haec igitur compunctio fructus alter est, qui ab examine provenit, ad purgationem conscientiae.

De hoc puncto fusius actum superius, ubi quietis et separationis necessitatem adstruximus, ut intra nos pretiosissimum compunctionis thesaurum effodiamus. Hic locus postulat ut evincamus, hoc examen conferre plurimum ad thesaurum istum obtinendum, eiusque obtentionem magnopere facere ad conscientiae purgationem. Primo igitur, estne aliquid, quod ita natum sit, non dico ad verecundiam, sed ad horrorem nostri nos excitare, quam in examine, veluti in speculo, contemplari faciem nostram peccatis conspurcatam [1]? «Arguam te, et statuam contra faciem tuam,» inquit Deus peccatori. Quoniam tuiipsius oblitus es, et obvertisti dorsum mihi, efficiam ut ipse videas gravitatem et multitudinem peccatorum tuorum. Quanto autem rigore maiori id futurum est in iudicio divino, ubi praeter sententiam severissimam peccatori nihil sperandum est, tanto fit maiori misericordia in iudicio quotidiano, unde resultat absolutio et purgatio conscientiae. Vere enim hic a Deo arguitur anima, quae per accusationem conscientiae propriae divinitus tacta compungitur; statuiturque ante faciem suam, quando foeditatem suam considerans in se reflectit, seque ipsam arguit et castigat. Et quo

1 Ps. XLIX, 21.

clarior est haec notitia, eo etiam gravior est reprehensio suiipsius. «Quanto enim quisque se minus videt, inquit Gregorius [1], tanto sibi minus displicet; et quanto maioris gratiae lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Quum enim intrinsecus sublevatur per omne quod est, ad eam, quam super se conspicit, regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas praepedit, cernit quia ei ex non minima parte dissentit, totumque ex se illi onerosum est, quod internae regulae conveniens non est.» Ex hac inspectione et displicentia sui nascitur sancta compunctio, amaras reddens delicias mundi omnes, quae antea dulces videbantur, et dulcia, quae apparebant amara. Neque enim vel honores, vel divitiae, vel voluptates carnis, iam quidquam saporis habent, posteaquam sensit, (sensit autem quae revera compungitur), ex earum fruitione tantum dolorem, tantamque amaritiem gigni. Sed neque mala omnia contraria, paupertas, infamia, morbi, et quaecumque corporis asperitas, quidquam habent duritiei, quando compunctio aperuit oculos cordis. Quod si illa gradum aliquem excellentem contingat, tunc anima non aliud solatium invenit, quam malis omnibus subiici, tum in medicinam et satisfactionem peccatorum suorum, tum in augmentum virtutum et meritorum. Haec omnia lucis divinae effecta sunt, quando Deus vitae nostrae errores clarius exhibet, et nos statuit ante faciam nostram. Non relinquit locum amori proprio, ut declinet in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis: rite solvuntur debita propositorum bonorum circa vitae emendationem, quae tandem aliquando, opitulante divina gratia, exequutioni mandantur. Viribus enim suis mundana bona

1 XXXV Moral. 2 alias 3.

iam destituta sunt, ne decipiant; viribus etiam suis carent terrena mala, ne terreant. Hi autem scopuli duo sunt, in quos ordinarie impingunt bona proposita, et ita naufragantur, ut declinemus a via recta.

Ex his omnibus, si recte inspiciantur, concluditur, quod purgatio animae resultet ex emendatione culparum praeteritarum, quibus maculabatur; quod haec emendatio proveniat a proposito firmo et efficace, propositum a compunctione et dolore, compunctio a cognitione erratorum praeteritorum. Liquet igitur notitiam peccatorum, compunctionem de illis, et propositum emendationis, quae sunt Examinis partes praecipuae, mirabiliter facere «ad purgationem conscientiae,» qui unus est ex finibus, quos hic intendimus. Vt finem hunc consequamur, examen unum non sufficit, sed repetendum est saepius. Non sufficiebat Naamano semel tingi Iordane, ut mundaretur a lepra; lavandus fuit septies, ut inde purus exiret. «Per singulas noctes» lavabat David lectum suum, et lacrymis suis stratum suum rigabat, neque tamen arbitrabatur se mundum esse, sed ingeminabat, «Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.» De altero fine Examinis, quem in confessione sacramentali consequimur, agetur postea.

CAPVT XIX

RELIQVA EXERCITIA OMNIA IVVARI, ET VIRES SVAS ACCIPERE AB EXAMINE

Praeter alia Examinis emolumenta hactenus proposita, haec utilitas, quam capitis huius titulus praefert, considerationem singularem meretur. Verissimum enim est, caeterorum exercitiorum spiritualium et vires et

efficaciam ad animae nostrae progressum, quadantenus ab examine provenire, quatenus examen illis omnibus sese communicat. In quo mira magni spiritus Magistri Ignatii dexteritas elucescit. Sicut enim in pharmacopeia medicamentorum genera varia sunt, quaedam dulcia, quaedam amara, quaedam minus magisve efficacia, quae secundum morbi gravitatem, viresque et dispositionem infirmi, convenienti pondere et mensura ab artifice commiscentur; ita etiam in meditationum et exercitiorum spiritualium officina, quaedam remedia suaviora sunt, quaedam mordaciora, quaedam efficaciae vel minoris vel maioris, quarum, juxta praesentem exercitantis necessitatem, attemperatio prudentiam Directoris requirit. Apparet autem, S. Patrem nostrum in meditationibus fere singulis aliquid examinis adhibuisse, alias plus, alias minus. Vnde medicinam hanc veluti totius officinae suae spiritualis efficacissimam habuisse videtur, quae animet, viresque et virtutem afferat exercitiis caeteris universis.

Probatione veritatis huius haud alia opus est, quam inductione exercitiorum plurimorum, et fere omnium; dummodo supponamus, per examen intelligi reflexionem quamlibet supra seipsum, aut supra actiones suas, aut supra profectum suum in spiritu, ut vitiosa corrigantur, obliqua complanentur, et recta perficiantur. In primis igitur in fundamento exercitiorum sic ait: «Debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae; ita ut, quod in nobis est, non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi, praeferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere ac desiderare.» Quanam ratione fieri poterit, quod hic praescribi-

tur, absque ope examinis? Non dico, ut deliberetur, utrum hoc vel illud magis minusve ducat ad finem nostrum, id enim attinet ad materiam electionis; sed utrum ista indifferentia in nobis sit, quam, tamquam fructum proprium et singularem, hoc Fundamentum intendit. Necesse igitur est, ut hoc loco discutiamus propensiones nostras, atque indagemus, an creatura aliqua perperam affectum nostrum abripiat, veluti si quis apud libripendem examinet, an in hanc vel illam partem bilancis scapus inclinet.

Veniamus ad hebdomadem primam, quae sicut ad contritionem, ad dolorem, ad lacrymas tota dirigitur, ita continet exercitia, quae non aliud sunt, quam examen. Tres enim illi fructus examinis, quos capite praeterito dicebamus, memoria sive notitia peccatorum, compunctio sive dolor, et propositum emendationis, ita illarum meditationum primarum visceribus intime imbibuntur, ut earum veluti substantia sint. Id videre est in tribus punctis exercitii primi, meditandi secundum tres animae potentias, et in colloquio eiusdem. Vt quid enim memoriae obiicitur peccatum Angelorum, peccatum primorum Parentum, et peccatum particulare eorum, qui unico mortali commisso condemnati fuere, nisi ut «Erubescam et confundar totus, facta unius tantum peccati Angelorum cum tot meis comparatione; unde colligere liceat, quum illi ob unicum crimen addicti sint inferno, quam saepe ipse supplicium idem meruerim.» Et iterum de iis, qui dumtaxat semel peccaverunt, «Considerando quod peccato tali, vel semel dumtaxat commisso, forte detrusi sint multi ad infernum: quodque praeterea innumeri, ob delicta meis pauciora atque leviora, forte cruciantur aeternis poenis.» Quomodo haec peccatorum alienorum et propriorum comparatio institui potest, nisi propria quadantenus examinen-

tur? Quomodo erubescere quis potest et confundi, nisi dolorem concipiat de peccatis commissis? Quomodo, aut ad quid, hos excitabit affectus voluntatis, nisi ut proponat emendationem, poenitentiam, vitaeque immutationem? Quid vero haec sunt, nisi puncta, quae in examine quotidiano ad unicum diem arctantur, istic autem ad omnes actus malos vitae praeteritae extenduntur? Rursum in colloquio, quid sibi vult istud, «Arguam insuper meipsum, percunctans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo, quid agam tandem, aut agere debeam,» nisi ut meipsum inspiciam, atque examinem? Quid porro in meipso examinandum est? Quid hactenus egerim pro Christo, et inveniam offensas plurimas; quid agere debeam, et inveniam, immutandam esse vitam, cum proposito firmo emendationis. Haec ipsissima forma examinis clarissimis verbis exprimitur in exercitio secundo, sive meditatione de peccatis; in primo enim puncto fit «Processus quidam, per quem peccata totius vitae in memoriam revocantur, percursis gradatim discussisque annis, et spatiis temporum singulis.» Hoc igitur punctum respondet tertio puncto examinis, cum sola hac differentia, quod in examine ratio exigatur de hora in horam; hic vero, ubi vita omnis examinatur, de anno in annum, et de spatio in spatium. A secundo puncto usque ad quintum afferuntur ea, quae movere possunt ad horrorem peccati: nimirum, foeditas peccatorum, vilitas personæ peccantis, Maiestas personae offensae, iusta indignatio creaturarum omnium, a quibus vindicta timeri possit. Haec omnia non aliud sunt, quam motiva compunctionis et doloris, pertinentque ad examinis punctum quartum. Post haec in colloquio expresse dicitur, «Proposita in futurum mei emendatione.» En examinis punctum quintum.

In hebdomadis cacteris, secunda, tertia et quarta,

etsi non adeo aperte exprimatur forma examinis, certum tamen est, mentem S. Patris nostri esse, ut meditationes istas omnes et singulas examen concomitetur. Quemadmodum enim per cingulum, quo lumbos stringimus, vestimentum omne aptatur, et sine quo vestis caetera incomposita esset, inepteque diffluerel; ita meditatio, quae per seipsam latius diffunditur quam vestis, examine velut cingulo stringitur, et ad animam nostram applicatur, ut nobis idonea sit, morumque afferat reformationem. Atque hoc illud est, quod S. Pater toties repetit, post considerationem personarum, verborum et operum, quae praescribitur in omni materia historica, reflectendum esse ad nos ipsos, ut fructum aliquem referamus. Observationem singularem meretur, quod S. P. N. etsi tantam illo libello suo brevitatem profiteatur, tot vicibus tamen, et iisdem verbis inculcet reflexionem ad nos ipsos. Haec enim verba «Ad nos reflectendo, ut ex consideratione tali fructum aliquem referamus,» repetuntur in tribus punctis meditationis de Incarnatione; et iterum in tribus punctis contemplationis de Nativitate; et rursum in tribus primis punctis contemplationis de gestis post coenam; et denique ad haec ipsa tria puncta, exercitantem remittit in tribus primis punctis contemplationis de Resurrectione. Quid sibi volunt assiduae istae reflexiones supra meipsum, nisi ut examinem in quo gradu reperiantur in me virtutes illae, quas in historia proposita deprehendi; quae sint culpae et imperfectiones meae, ab exemplo isto dissidentes; quibus modis exemplari isti similis fieri possim? Facit etiam haec reflexio, ut videam quid agere quidve pati debeam, ut me Domino meo conformem reddam, qui tot ac tanta pro me egit et passus est. Huc spectabat David, quum diceret [1]: «Quid

1 Psal. cxv, 3.

retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?» Huc itidem spectat S. Pater in colloquio meditationis de tribus animae potentiis, quum ait: «Meipsum percunctans, quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo, quid agam tandem, aut agere debeam.» Et in sexto puncto meditationis primae, hebdomadae tertiae, «Cogitare, quum talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam aut pati eius causa.» Et clarius in puncto primo contemplationis ad amorem spiritualem : «Quibus optime inspectis, vertar ad meipsum, et disquiram mecum, quae meae sint partes, et quid aequum iustumque sit, ut divinae offeram et exhibeam Maiestati.» Quid hoc est, «Vertar ad meipsum et disquiram mecum,» nisi examen meiipsius, quo inspiciam, quid egerim, quid porro agere possim et debeam in obsequium Domini mei? Consideratio et meditatio, quæ per se foret sterilis et infoecunda, fit frugifera et efficax, quando applicatur vitae nostrae reformationi, fervorique bonorum operum per examen.

Quae hucusque dicta sunt, spectant generaliter exercitia orationum et meditationum. Quod si per examen non aliud intelligamus, quam inquisitionem in animi nostri motus, affectus, inclinationes, dictamina, deliberationes, ut dispiciamus an rectae rationi spirituique bono conformes sint, an difformes; dubitari non potest, quin etiam exercitia electionis, et regulae discretionis, (quae duae res libelli Exercitiorum primatum tenent), in examine suum habeant fundamentum. Etenim quem scopum habet meditatio de duobus vexillis, nisi hunc qui declaratur in tertio praeludio, «Exploratas habere fraudes mali ducis; veri autem optimique Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos?» Vtque ducis utriusque mores intra nos exploremus, regula nobis indexque datur concio, et

Luciferi et Christi, ad suos, quae puncto tertio utriusque partis proponitur. Exercitium vero de tribus hominum classibus quonam tendit, nisi ut in seipso quisque examinet, an aversionem sentiat a paupertate rerum, vel ad hanc paupertatem et divitias indifferens sit, atque an vel ad has, vel ad illam ex alio motivo feratur, quam desiderio divinae gloriae? ut ibidem dicitur puncto tertio, et notando post illam meditationem. Porro absque multo examine electionem non posse institui, nomen ipsum declarat. Quid enim rei est electio, nisi libratio rerum duarum, ut dispiciam utra sit maioris obsequii divini, maiorisque emolumenti animae meae, non inclinando in hanc vel illam partem ex affectu aliquo non bono? Quot vero modis in hoc negotio recurrendum est ad examen? Nam primo examinandum est, an sim indifferens et sine affectu inordinato, et in aequilibrio quodam consistam, ut alterutram partem vel reiiciam vel admittam, ut dicitur puncto secundo modi prioris Electionis. Deinde examinandae rationes quae utrimque occurrunt, inquirendumque in rationis cuiuslibet pondus, ut ibidem dicitur puncto quarto. Praeterea his praemissis, examinandum in quam partem magis inclinet ratio, ut secundum rationis motum, non vero secundum carnis appetitum, electio peragatur, ut ibidem dicitur puncto quinto. Tandem ad examinandam electionis sinceritatem quatuor regulae assignantur in secundo modo electionis, et ad hoc ipsum conducunt regulae omnes de spiritibus dignoscendis, quas discretionis vocamus, et hunc titulum praeferunt: «Ad motus animae, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solum admittantur, et pellantur mali.» Haec ergo omnia haud possunt aliter fieri, quam examinando et attentius considerando seipsum, motusque suos internos, secundum signa sive spiritus boni, sive mali. Denique adnotatio-

ne prima inter viginti, haec vocantur exercitia spiritualia: «praeparare et disponere animam, ad tollendas affectiones omnes male ordinatas; et iis sublatis, ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei, circa vitae suae institutionem et salutem animae.» Si ista sunt exercitia spiritualia, non possunt igitur fieri absque examine; quisquis enim quaerit et invenit, attendat necesse est an id, quod invenit, illud ipsum sit, quod quaesivit; an vero affectio aliqua male ordinata illum fefellerit, aliudque pro alio amplectatur. Verum haec omnia delicatiora sunt et difficilia, postulantque tractatum ampliorem; quae tamen breviter hic attinguntur, ut examinis efficacia demonstretur, quantumque animae nostrae profectus crescit, tanto accuratius instituatur examen, et anatomia fiat minutior actionum motuumque internorum.

Vt caput hoc concludamus, non solummodo pauci illi, qui in electionum materia exercentur, raros enim hos esse vult Ignatius; vel certe eos, qui de vitae statu deliberare velint [1], idque ob materiae subtilitatem; neque solum multi illi, qui utiliter primae hebdomadae exercitia obire possunt, teste eodem [2]; sed generatim omnes, quicumque salutem suam desiderant, una cum caeteris exercitiis pietatis, examine aliquo opus habent. Huius rei formam habemus in primo modo orandi, quam S. P. N. in libello suo proponit, et a rudioribus ipsis, atque ad alia exercitia ineptioribus, adhibendam statuit. De hac enim oratione sic loquitur in Constitutionibus [3]: «Modi orandi, praesertim primus trium illorum, qui in Exercitiis proponuntur, ad multo etiam

1 Const. P. IV, cap. 8, litt. E.
2 Const. P. VII, cap. 4, litt. F.
3 Ibid.

plures extendi possent, quivis enim bona praeditus voluntate ad haec idoneus est.» Hic vero orandi modus nihil aliud est, quam examen facile, et accommodatum captui vulgi; id quod ostendo. Oratio illius praeparatoria «Gratiae continet postulationem, ut mihi detur agnoscere quidquid deliquero adversus Decalogi praecepta, meque in posterum emendare,» en secundum punctum examinis. Sequitur ipse modus orandi: «Mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens, quo pacto servaverim illud aut violaverim,» en tertium punctum examinis. Tum subdit: «Deque occurrentibus in memoriam delictis veniam precabor,» en quartum punctum examinis. Denique pro conclusione orationis ait: «Completo de praeceptis singulis discursu, post mei accusationem, et gratiae implorationem, ut ea vigilantius custodiam, colloquium dirigam ad Deum,» en quintum punctum examinis. Manifeste igitur evinci potest S. Patrem in hac doctrina attendisse ad quinque puncta examinis, eaque in hoc orandi modo sic adaptasse, ut omni hominum generi prodesse possent. Fixum ergo sit, examen conferre plurimum ad purgationem conscientiae, atque illa exercitia omnia ab examine habere, quod reddant animam meliorem.

CAPVT XX

STATVM ET PROFECTVM NOSTRVM SPIRITVALEM QVANDOQVE EXAMINANDVM ESSE

Praeter examen, quod quotidie instituitur de culpis occurrentibus illo die, perfectionis studioso convenit plurimum, statis temporibus in seipsum reverti, et reflectere an in spiritu progrediatur, vel retrocedat; an in talenti sui negotiatione lucrum vel damnum referat;

an in schola spiritus recte operam impendat, nec ne. Haec disquisitio facit in primis, ut cuiusque animus excitetur, et fervor exstimuletur. Quis enim usque adeo ignavus et vecors sit, qui viam longiorem ingrediens, non reflectat identidem, quantum viae egerit, quantum agendum supersit, ne obruatur a nocte? Iuxta illud [1]: «Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.» Quis mercator adeo incurius, qui non inquirat minutim, an lucrum ex mercibus suis referat, an damnum? Praesertim si domino maiori serviat, atque hic imperet [2], «Negotiamini dum venio,» et usuram aequam referentibus lucrum duplicet, negligentibus vero hoc ipsum subtrahat, quod benevole erogaverat. Quis disciplinae alicuius studiosus tam segnis, qui non praevideat subeundum sibi esse studiorum suorum examen, quo testetur profectum in litteris, ne audiat illud Apostoli [3]: «Quum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.» Liquet igitur, per reflexionem et examen profectus nostri, de socordia nos commoneri, verecundari de acedia, exstimulari ad fervorem.

Iuvat etiam hoc examen, ut Confessario aut Directori reddatur ratio conscientiae. Etenim ut haec ratio detur alteri, necesse est illam primitus exigere a seipso ; atque is, qui ad instructionem suam et directionem in spiritu illam daturus est, gnarus esse debet status proprii et profectus. Hoc voluit S. Pater quum dixit [4] «Admoneantur, quod nullam debeant celare tentationem,

1 Ioan. XII, 35.
2 Luc. XIX, 13.
3 Hebr. V, 12.
4 Const. P. III, c. 1, § 12.

quam huic,» (Patri spirituali), «vel Confessario, vel Superiori non aperiant: imo vero totam animam suam illis integre manifestam esse, pergratum habeant; nec solum defectus aperiant, sed etiam poenitentias, vel mortificationes, et devotiones, ac virtutes omnes: voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum iudicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent.» Ex his verbis patet, inter confessionem sacramentalem, et conscientiae rationem, esse differentiam variam; et similiter inter examen quotidianum, quod ad confessionem illam dirigitur, atque examen quod ad hanc redditionem conscientiae ducit, de quo hoc capite agimus. Differunt enim haec duo examina, et materia, et fine, et modo. Materia confessionis sunt culpae et peccata, et consequenter sunt materia istius examinis; sed materia rationis conscientiae sunt etiam tentationes, poenitentiae, mortificationes, devotiones, ac virtutes omnes, quae ad confessionem non attinent, faciunt tamen plurimum ad intelligentiam status et profectus nostri, ac propterea discussioni huic subiiciendae sunt. Finis confessionis est absolutio, ac propterea modus confessionis est accusatio sacramentalis; finis autem rationis conscientiae est instructio, directio, auxilium, quae propterea fit convenientius extra Sacramentum; examen vero ipsum, quod rationem illam praecedit, cuiusmodi sit, mox dicetur. Differentiam confessionis et rationis conscientiae quoad finem et modum, in quadam instructione tetigit P. Claudius, his verbis [1]: «Efficiant Superiores, ut subditi intelligant, aliud esse reddere rationem conscientiae, aliud quid generaliter confiteri; quia et regula di-

1 Instruct. 13 de Renovat. spir. cap. 2. n. 2.

versa est utriusque, et diversus finis, et modus diversus. Nam confessionis finis est, proponere sibi ante oculos totius illius temporis culpas, illasque denuo maiore alacritate expiare, et quasi novas induere vires; in aperienda autem conscientia finis est, statum animae suae, nimirum defectus, passiones, propensiones, tentationes, virtutes ipsas, et quaecumque ad perfectam sui cognitionem facere possunt, ei aperire, cui se ad maiorem Dei gloriam dirigendos tradiderunt. Modus etiam diversus est: nam in confessione peccata et circumstantiae aperiendae sunt; in altera vero ea dicere satis erit, quae integre profectum, seu defectum animae, et statum interioris hominis manifestant.» Hactenus Claudius. Vnde liquide apparet, quam arcto vinculo inter se colligentur, bona ratio conscientiae, et examen accuratum status profectusque sui interioris. Sicut enim infirmus sollicite reflectit animum ad singula, quae sibi accidunt, notatque minutatim quae symptomata senserit, quo tempore, qua occasione, quis fuerit medicinarum eventus, quae profuerit, et quae non, quoniam ex plena instructione medici sanitas eius pendet; similiter cum proportione in morbo spirituali observanda omnia examinandaque sunt, ut aperiantur medico animae, si quis huius sanitatem desiderat.

Quod si vero hoc examen profectus proprii adeo proficuum sit, ut in spiritualibus ab altero dirigaris, non minorem profecto parit utilitatem, ut in spiritu alteros dirigas. Experientia enim magistra optima est, ut idonea aliis consulas, infirmisque auxilieris, qui luctaminibus iisdem subduntur, quae in te ipse expertus es, atque ex arcano cordis tui illas ipsas medicinas depromas, quibus convaluisti. Itaque ut alicui interne laboranti, vel consilium, vel solatium afferas, maximopere confert non solum generaliter, verum etiam singillatim

assequutum fuisse affectionis causas occultas, quae illius animum lancinant. Hi enim, qui tentationibus secretis, aliisve molestiis interioribus cruciantur, et remedii causa ad patrem spiritualem accedunt, mirifice recreantur quum vident protinus se intelligi, fiduciam sumunt in medico, spemque sanitatis concipiunt. A medente autem ipso promptius medicina suggeritur; quis enim penetralia alieni cordis rimabitur, qui in cognitione cordis proprii peregrinus est? Librum aliquis penes se habeat, sed cuius sensum non assequatur, neque mihi exponere possit, quid contineat liber; huic ego aperire potero, quaecumque liber ille complectitur, si mihi liber sit tenoris eiusdem et typi, quem studiose versaverim. Illud ipsum humanis cordibus accidit; corda enim libris eiusdem impressionis assimilantur, et generatim quae unius, fere etiam cordis alterius, paginis subiiciuntur. Iuvat ergo summopere nancisci hominem, qui huius libri sui peritiam apprime assequutus sit, quique examinaverit ingressum, exitum, progressum, incrementa, decrementa, principia, media, fines et virtutum, et vitiorum, et tentationum, et consolationum, et desolationum, et pacis, et belli spiritualis, ut ex illo libro suo alios instruere valeat. Etenim hoc est speculum, ex quo discit ea, quae in aliorum cordibus peraguntur. Idque monuit Spiritus Sanctus, quum dixit [1]: «Intellige, quae sunt proximi tui, ex teipso.» Sin vero, id quod fieri videmus, ex sola auctorum doctiorum volutatione Directorem agas, atque hinc tantummodo iis consulas, qui pracliantur praelia spiritus, fies velut aes sonans aut cymbalum tinniens, vel sicut caecus disputans de coloribus. Nisi enim auctorum lectio ab experientia propria maturitatem hauriat, praeter

1 Eccli. xxxi, 18.

verba mortua, quae luce carent et efficacia, neque corda audientium penetrant, nihil inde extrahitur. Non propterea tamen parvi facienda est lectio Scripturae sacrae, et librorum quos viri sancti conscripserunt; hos enim libros et suspicere oportet, et illorum sensum diligenter scrutari; verum harum scriptionum interpres optimus est experientia, quae volumina ista dictavit. Quando igitur hisce libris consonat sensus tuus, idque libri loquuntur, quod sentis in teipso, ex lectionis huius sensusque tui congruentia lux oritur viva et efficax, nata alios illustrare. Si autem lectioni soli innitatur tua directio, id eveniet, quod saepius comperimus, seligi quidem ex libris illis aliqua medullae spiritualis dictamina, sed quae neque intelliguntur ab audientibus, et ab illis ipsis vix capiuntur, qui docent. Indubitatum certe est, absque experientiae adminiculo, neque illa posse aplicari apposite, neque idonee explicari. Quid porro dicam de remediis attemperandis uniuscuiusque necessitati particulari? Hic profecto partem primam sibi vindicat experientia propria. «Qui non est tentatus,» inquit Sapiens [1], «quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit.» Post haec iterum repetit: «Qui tentatus non est, qualia scit?» Consequenter ad haec ait Apostolus [2]: «Sive tribulamur, pro vestra exhortatione et salute; sive consolamur, pro vestra consolatione; sive exhortamur, pro vestra exhortatione et salute.» Haec nimirum experiebatur in se ipse, ut disceret compati tribulatis, consolari moestos, exhortari alios. Hinc colligitur, Deum saepius magistris spiritus et conscientiarum directoribus, con-

1 Eccli. xxxiv, 9.
2 2 Cor. i, 6.

solationes internas submittere, non illorum causa, sed subditorum; et iisdem tentationes quasdam permittere, ut illarum vim et naturam intra se sentiant, atque inde discant tentatis succurrere. Sed hunc fructum non referent, qui huic experientiae propriae non superaddunt examen, neque sedulo attendunt ad ea, quae intra animam suam aguntur. Nisi enim supra experientiam illam suam reflectant, etsi annis multis experiantur plurima, ne hilum quidem in scientia hac proficient; sed illorum similes erunt, qui bibliotheca rara instructi sunt, sed libros detinent clausos, et ut annos in religione a iuventute ad senectam traducant, et canitie venerandi sint, ineptissime dirigent iuniores, ut egregie docet Abbas Moyses apud Cassianum [1].

Sed enim observationem minime contemnendam meretur, ad experientiae huius consequutionem examen hoc non sufficere, nisi ad discussionem hanc accedat sui ipsius emendatio. Examinantur enim affectiones animi malae ut frangantur, tentationes ut vincantur, vitia ut corrigantur, virtutes ut perficiantur, exercitia spiritualia ut in dies accuratius instituantur. Id ni fiat, cui bono examen status et profectus sui, si non proficiat is, qui examinat? Status enim non proficientium, status acediae est, qui non solet, ut illis accidit, qui molam versant, in eodem loco consistere, sed certissime intra tempus haud longum in deterius labitur. Locum proprium hic obtinet examen particulare, exercitium efficacissimum ut vitia extirpentur, passiones fraenentur, consuetudines pravae evellantur, virtutes augeantur, exercitia spiritualia expoliantur. Huic, inquam, examini, quod particulare dicitur, ad victorias spirituales adeo efficaci, hoc examen profectus nostri,

1 Collat. 2. c. 13.

de quo sermo est, materiam idoneam subministrat. Quoniam enim necesse est, particularis examinis materiam esse determinatam et particularem, ut et nomen eius affert, et suo loco docebitur, momenti sane maximi est materiae eius electio, ne vel laboremus in vanum, vel certe fructum referamus infra votum. Huc ergo plurimum confert hoc examen status et profectus nostri; proponit enim atque oculis obiicit passiones, vitia, consuetudines, inclinationes perversas, virtutes, exercitia spiritualia, statum denique, quem unumquodque horum in nobis tenet; ut illi parti remedium applicemus, a qua gravius oritur damnum, atque ibi inimico fortius resistamus, ubi ille infestior est. Hac ratione destruimus daemonis machinas, quando eadem industria nos defendimus, qua ipse oppugnat. «Solet adversarius,» inquit S. Pater [1] «imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, explorata prius natura et munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum et ille circuit animam, et callide inquirit quarumnam virtutum praesidiis, moralium scilicet aut theologicarum, ipsa vel munita vel destituta sit; eaque potissimum parte, machinis omnibus admotis, irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus caeteris firmatam custoditamque esse praeviderit.» Idem igitur, quod adversarius noster in ruinam nostram molitur, nobis arripiendum est in tutelam. Circumeundum, callideque inquirendum in vitia, virtutes, passiones, tentationes, inclinationes, consuetudines, occupationes, exercitia spiritualia; omnibusque attente inspectis, ad partem minus firmatam minusque caeteris custoditam applicare examen particulare.

1 Reg. 14. ex prior. de discret.

Ex dictis sequitur, quae sit materia examinis hic propositi, sive rationis conscientiae, quam a nobis ipsis exigimus; accurate scilicet lustrare statum vitae, et cognoscere quo loco sit negotium salutis nostrae aeternae. Vt res ista reddatur facilior, iuvabit omnem reducere ad puncta sequentia.

I. Circa statvm cvivsqve. An in illo quietem et pacem inveniat. An huius legibus et obligationibus sese accommodet. An ab his aversionem aut taedium sentiat. An illis parum afficiatur. An iudicium habeat illis contrarium. Religiosis incumbit haec discutere, circa Regulas, consuetudines, et vivendi modum.

II. Circa tentationes. An importunae sint et vehementes. Quae remedia adhibeat. An facile vel difficulter resistat. Quas passiones experiatur, et quam acres. Quas inclinationes malas, et ad quae peccata magis propendeat. In quas occasiones labendi incurrat, et quibus viis illas declinare conetur.

III. Circa virtvtes, mortificationes, poenitentias. Quas potissimum exerceat. Quem in his fructum, quodve detrimentum experiatur. Si religiosus est, quomodo servet vota. An amet silentium et animi collectionem. Quomodo afficiatur paupertati, iniuriis, sui depressioni et despectui. Quo animo fuerit, quum occasio aderat haec experiendi.

IV. Circa exercitia spiritvalia. Quo affectu haec peragat. Quantum temporis illis impendat. Quomodo operibus per diem haec applicet. Quem orandi modum teneat, et quo fervore vel ariditate, qua collectione animi vel distractione. Quem fructum referat ex examine generali et particulari. Quem ex usu sacramentorum confessionis et communionis. Quam his praemittat praeparationem.

V. Circa occvpationes, officia, ministeria spiritva-

LIA, ET TEMPORALIA. Quam recte se iis impendat. An iis absumat tempus inutile. Quo spiritu et zelo obeat ministeria animarum, qua iustitia et aedificatione illa, quae tangunt res temporales. Quomodo se habeat erga personas, quibuscum agendum est. An excedat vel in amicitia, vel in aversione. An obsit, vel prosit alicuius societas. Haec fere sunt, de quibus circa statum profectumque spiritualem examen institui potest.

Solent aliqui hic incidere in extremum, quod tetigimus alibi, qui nimirum tam generaliter se inspiciunt, ut per hoc examen neque seipsos cognoscant, neque candide se aperiant Directori in ratione conscientiae. Periculum in hoc genere potissimum nascitur circa examen passionum, consuetudinum et habituum, sive bonorum, sive malorum; ubi percipi non potest, qualis aliquis sit, in quo gradu stet, vel quo tendat, nisi per actus ipsos, qui ex habitibus illis, passionibus atque inclinationibus procedunt, qui illos habitus, inclinationes, passiones, quasi indigitant. Quisquis igitur seipsum nosse et aperire desiderat, in hunc modum id agat: Laboro ambitione sitique honoris, ita ut auxiliis talibus, vel diligentia tali, mihi procuraverim hoc vel illud officium; itemque in re tali me excusaverim, praetexuerim causas, replicaverim, murmuraverim, immodiceque me afflixerim propter occupationem talem, quae abiectior videbatur, vel propter talem depressionem, aut apparentiam existimationis minoris; conturbat me iracundia, ita ut in excessus tales proruperim; tentationem passus sum, quae culpam talem induxit. Atque hoc eodem modo de caeteris. Vnde patet, hoc status nostri profectusque examen, ab examine generali quotidiano lucem mutuare; ex culpis enim et defectibus quotidianis, consuetudines, inclinationes detortae, et passiones deteguntur. Sicut enim pulsus arteriae infir-

mitatem occultam prodit, ita etiam cogitationes, verba, operaque quotidiana passionem indicant latentem; passio vero mala, ex hisce signis deprehensa, materiam sufficit examini particulari.

Intret igitur homo in iudicium cum seipso, et cum potentiis, cum passionibus, cum sensibus suis ineat rationem; cognitisque rebus illis, quibus et interius et exterius occupatur, statum reipublicae, a Deo sibi commissae, assequatur. Rationem subducat cum memoria, quas illa cogitationes frequentius volvat; hinc enim liquebit, quidnam sit, quod plus amat, plus timet, vel aversatur. Supputet cum intellectu, an errores aliquos foveat, an vana et curiosa admittat, neglectis utilioribus, an iudicio suo firmius adhaerescat; an sit pertinax, arrogans, indocilis, impatiens boni consilii. Reflectat ad actus voluntatis, quonam hi ducant, quo obiecto haec delectetur, quid horreat, quid timeat, quid speret; hinc patebit, an vanitatem diligat, an veritatem. Consideret, feras bestias esse affectiones vitiosas; et quae appetitui concupiscibili dominantur, gulam, luxuriam, avaritiam; et quae irascibili, superbiam, iram, invidiam. Examinet etiam sensus motusque hominis exterioris, quando enim hi incompositi sunt, infirmitatem arguunt interiorem. Dispiciat, qua ratione contineat oculos, gubernet linguam, dirigat gressum; quam collectus sit in cubiculo, quae necessitas hoc deserendi, quae sint conversationes, quae colloquia, an vana et inutilia, an aspera vel adulatoria, an detractoria, levia, vel iocosa. Inquirat in zelum animarum, quomodo satisfaciat officio sibi imposito, quam huc conferat lectionem, meditationem, devotionem, poenitentias, corporisque asperitates. Denique non excidat moriendum esse, et appropinquare iudicium Dei; inquiratque, an ita comparatus

sit, ut vitae suae rationem iudici reddere possit. Ipsius Annaei Senecae quotidiana, in discutiendis actionum suarum naevis, diligentia et assiduitas plurimum conferre potest, ad nostram in hoc genere socordiam excitandam, torporemque discutiendum. Cuius verba hic ponerem, nisi relata forent, capite primo circa finem.

Concludamus materiam hanc verbis Leonis Papae [1]. «Omnia igitur, inquit, quae animae puritatem et speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo, et quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura iudicii. Videat, si in secreto cordis sui illam, quam Christus dat, invenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non delectatur augmento, si denique aliena felicitate non uritur, aut inimici miseria non laetatur. Et quum harum perturbationum nihil in se forte repererit, sincero disquirat examine, qualium cogitationum specie delectetur, et utrum nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quam cito animum ab iis, quae noxie blandiuntur, abducat.» Haec S. Leo. Ex quo, aliisque Patribus, qui similia loquuntur, videre est, quam familiaris esse debeat Examinis huius modus, atque hinc promendam esse materiam examinis particularis.

1 Serm. 3. Quadrag.

CAPVT XXI

DE FRVCTV HVIVS EXAMINIS, QVANTVM AD CONFESSIONEM; SIVE EXAMEN QVOTIDIANVM AD MELIVS CONFITENDVM IVVARE

Quemadmodum confessio sacramentalis purgandis animabus medium efficacissimum est, utpote non tantummodo exercitium spirituale, sed etiam legis gratiae Sacramentum; ita ad confessionis finem consequendum, super omnia alia exercitia, iuvat examen conscientiae quotidianum. Etenim, ex institutione Christi, materia huius Sacramenti sunt actus nostri proprii, sive declaratio integra culparum nostrarum. Haec declaratio inquisitionem et memoriam culparum supponit, doloremque et propositum emendationis, quae omnia partes examinis sunt. Vt adeo dicere liceat, ab examine conscientiae confessioni materiam suppeditari, illudque reipsa dispositionem esse ad hoc Sacramentum. Propterea S. Pater huic examini in titulo hunc scopum praefigit. «Ad peccatorum confessionem utilissimum.»

Confessionem esse exercitium spirituale, ambigere non potest quicumque ad virtutes complures attendit, quae hic exercentur. Quisquis enim debite confitetur, per fidem credit hoc Sacramento remitti peccata; per spem confidit, illorum declaratione ea expunctum iri; per charitatem amat Deum, et peccata detestatur, propterea quod Deum offendant, hic enim actus est contritionis perfectae; per humilitatem, alteri aperit secreta cordis; per obedientiam, se submittit legi divinae; per iustitiam, debitis suis, quoad potest, satisfacit; per fortitudinem, manifestationis huius difficultatem superat, calcatque et floccipendit ruborem et confusionem inde

oriundam. Quoniam igitur tot virtutum actus in confessione copulantur, quis negaverit illam esse exercitium spirituale, et quidem valde excellens? Recte igitur confessionem exercitiis spiritualibus annumerat S. Pater adnotatione decima octava et decima nona inter viginti primas. Et Constitutionum Part. III, cap. 1, § 20, quum enumerat exercitia, in quibus nostri instituendi sunt, recte his accenset confessionem. Quod si exercitia spiritualia dicenda sint, ut ex adnotatione prima alibi diximus, «Praeparare et disponere animam, ad tollendas affectiones male ordinatas, et iis sublatis, ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei, circa vitae suae institutionem et salutem animae,» quid magis disponit animam ad inveniendam Dei voluntatem, quam ipsa confessio? Ita ut, quum de negotio gravi deliberandum est, vix aliud ante omnia cogitandum sit, quam adquisitio gratiae per confessionem, et reconciliatio cum Deo; ut, una cum hac gratia, lux divina cordibus nostris subeat, atque aperiat, quid sit Deo beneplacens nobisque proficuum. Stat igitur confessionem esse exercitium spirituale.

Est praeterea verum Sacramentum, a Christo institutum ad peccatorum remissionem, et reconciliationem nostram cum Patre aeterno. Non tantum ergo utilitates complectitur, a tot virtutum actibus proficiscentes, verum etiam alias maiores, ab efficacia meritorum Christi, quae per Sacramentum peccatoribus applicantur; et ab assistentia singulari, qua Christus ipse, ut Sacerdos summus, hic subvenit, et poenitentibus, et Sacramenti ministris. Ille enim est, qui sanguine suo nos lavit, ille Sacramentum hoc instituit, ille hanc reconciliationis legem tulit, ille nos praevenit splendoribus gratiae suae, et conscientiae tenebras fugat, ille nos a veterno peccati excitat, ille movet et perturbat

cor nostrum, timore vulnerat, compunctionis lacrymas provocat, amoris igne succendit. Ille Sacramento virtutem indit infundendi gratiam, et per hanc redeundi in amicitiam cum coelesti Patre suo, ut expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus novum, et efficiamur in Christo nova creatura. Ille ipse adest sacerdotibus, Sacramenti huius ministris, ut reos patienter audiant, mansuete sufferant, misericorditer compatiantur. Ille lucem dat ut recta consulant, efficaciam ut persuadeant, rigorem ut terreant, vinum et oleum ut vulneribus affundant, longanimitatem ut emendationem sperent, fortitudinem et magnanimitatem ut alligent, charitatem ut dissolvant, virtutesque alias propemodum divinas, ut supremae potestatis officio, in qua vices Domini gerunt, rite fungantur. Graviter haec inculcat Leo Papa Theodoro Episcopo [1]. «Mediator, inquit, Dei et hominum homo Christus Iesus, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem, salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest, quae ministris suis exsequenda commisit, dicens: «Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sacculi,» ut si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum.» Haec S. Leo. Quoniam igitur confessio exercitium adeo utile est, et Sacramentum adeo salutare, dispositionem debitam postulat; haec autem tota reducitur ad duo capita, quae examinis propria sunt. Primum est, meminisse omnium peccatorum, ut confessio sit integra;

1 Epist. 91.

alterum est, vere confiteri et dolere, cum emendationis proposito firmo, ut confessio non sit ficta. «Ante iudicium,» inquit Sapiens [1], «interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.» Quomodo enim alteri delictorum tuorum rationem daturus es, si prius hanc non iniveris cum teipso? Quomodo te accusabis, veniam rogaturus, nisi prius dolueris? Hinc evincitur plurimorum peccantium caecitas, qui confessionem reducunt ad ceremoniam quamdam, qua declarare peccata oporteat, arbitrantes hac ratione se mundos reddi, atque ex Sacramento ipso desumentes occasionem peccata reiterandi. Facilius enim sibi esse existimant peccata sacerdoti edicere, quam non committere; et impendio haud magno stare censent delictum, ex eo quod confitendum sit. Nae illi nesciunt, quid rei sit confiteri et dolere. Neque enim fraenum aliud ad non cadendum potentius est, quam dolor de casu; et cordatus quisque caverit agere, si noverit necessario dolendum esse, postquam egerit. Ad hunc dolorem in confessione requisitum, quantum conferat examen, in comperto est; eius enim officium est de peccatis iam detectis compungi, et emendationis propositum procurare.

In hoc ipso fundantur tria illa emolumenta, quae S. P. N. asserit provenire a confessione generali. Quoniam enim confessionem hanc instituenti potissimum incumbendum est, ut contritionem afferat sinceram, quantumque fieri potest, intensam, et ex motivis deductam perfectioribus; ad dolorem hunc adminicula duo singularia praebet confessio generalis. Primum est, quod, quasi obtutu unico, in memoriam revocet totius vitae peccata. Sicut enim is, qui sensim alieno aere opprimitur, si separatim hanc vel illam debiti partem

1 Eccli. xviii, 20.

inspicit, damnum suum non pensat, quoniam particula quaelibet per se parva est; si vero in summam nominum universam figat oculos, tum denique iacturam assequitur, serioque redit ad se; idem accidit peccatoribus, qui delicta sua omnia in massam unam accumulant, et tunc vident se, cum servo evangelico, debere decem millia talenta. Ad hunc fructum respexit S. Pater, quum de confessione generali ait: «Eam facienti multo plus commodi et meriti accedit, ob dolorem scilicet de peccatis, et malitia vitae praeteritae, quem ita sentit vehementiorem;» hoc est, afficitur vehementius, quia cumulum peccatorum omnium intuetur. Hic igitur nodus est huius primae utilitatis: ideo dolet impensius, quia dolet de peccatis, et malitia vitae praeteritae universae. Primum itaque confessionis generalis emolumentum provenit a memoria culparum omnium, sive a maiori illustratione intellectus. Alterum emolumentum, ex parte voluntatis, est ipse dolor, qui similiter in confessione generali maior est. Vt enim aliquis confessionem illam instituat, spiritualibus quibusdam exercitationibus et meditationibus, prae quam alio tempore sese occupat, huc facientibus, ut peccatorum suorum malitiam cognoscat et detestetur. Hoc secundum emolumentum proponit S. Pater his verbis: «Quoniam inspecta, per spiritualem exercitationem, longe quam antea manifestius, natura et malitia peccatorum, tanto amplius commodum ac meritum percepturus est.» A peccatorum numero et malitia, ad eorumdem detestationem semper moveri possumus; tempore autem confessionis generalis, et malitia haec clarius cognoscitur, et numerus sollicitius examinatur, praesertim quando ad illam se disponit per exercitationes quasdam spirituales; tunc igitur dolor nascitur maior. Quoniam vero passio, quae peccata induxit, mutationi vitae

nostrae resistit, nosque excaecare nititur, ne peccatorum malitiam et numerum debite ponderemus, praescribit sanctus Pater ne confessionem generalem post exercitationes illas spirituales diutius protrahamus; propterea sic concludit: «Porro generalis ista confessio, post hebdomadae primae exercitia, potissimum erit opportuna.» Homo enim, qui morum immutationem sibi indixit, per quietem et moram, in exercitiis et meditationibus istis, magis sibi attendit, magisque penetrat peccatorum numerum et malitiam. Tertium denique confessionis generalis emolumentum superaddit S. Pater: «Quia consentaneum est, hominem, sic rite confessum atque dispositum, multo melius se habere ad Eucharistiae sumptionem.» De hoc fructu locus occurret in tractatu de frequentia sacrae Communionis. Hoc solum notandum restat, haec tria emolumenta a S. Patre tribui confessioni generali arbitrariae, sive quae ex devotione fit. Sic enim ait: «Ex confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur haec tria emolumenta.»

Hinc sequitur, confessionem hanc quandoque posse esse strictae obligationis, quando scilicet confessiones praecedentes invalidae fuerint; invalidae autem fuerunt, quando vel non fuerunt integrae, vel fuerunt fictae. Non fuerunt integrae, si vel examen fuerit insufficiens, vel malitiose celata sit culpa gravis; fuerunt fictae, si defuerit dolor ad Sacramentum requisitus. His casibus confessio generalis non arbitraria, sed obligatoria est, et emolumenta, quae hanc consequuntur, magis necessaria magisque notoria sunt. Quando igitur S. Pater dicit, haec emolumenta percipi «ex confessione generali ultro facta,» ad ingenerandam maiorem confessionis huius aestimationem hoc dicit, ne hi qui obeunt exercitia, in confessione generali langueant,

quoniam censent ad illam se non teneri, quum scrupulus ex confessionibus praeteritis nullus supersit. Quia, inquit, «Tametsi ad generalem huiuscemodi confessionem minime obligetur, eam tamen facienti ipsi multo plus commodi et meriti accedit,» idque ob rationes tres, quas subnectit, atque hic allatae sunt. His tribus addi possunt emolumenta alia, multa et magna, quae confessionem generalem commendant, ut diximus capite vicesimo, ubi egimus de examine vitae praeteritae. Ad propositum nostrum hoc facit, confessioni generali subservire examen, confessionem generalem facere «ad purgationem animae,» confessionis huius utilitates praecipuas esse tres recensitas. Atque hoc dicere voluit S. Pater quum scripsit, «percipiuntur tria haec emolumenta.» Haec de materia, quam tractamus.

CAPVT XXII

DE CONFESSIONE PECCATORVM VENIALIVM

Peccata venialia non afferunt quidem materiam confessionis necessariam, sed tamen sufficientem ad absolutionem, et ad gratiam inde resultantem. Sicut igitur superius diximus, examen peccatorum venialium momenti maximi esse ad conferendam animae puritatem maiorem, ita hic cum proportione idem asserimus de illorum confessione. Confessionem hanc si consideremus ut Sacramentum, gratiam ingenerat novam; si vero ut exercitium, tot virtutum actibus sociatur, quot capite praecedente retulimus; tantoque ad humilitatem nitoremque conscientiae plus facit, quanto maculae, quas confitemur, leviores sunt. Peccatorem se profitetur beatus Iob, et delictorum suorum meminit locis plurimis, non loquitur tamen nisi de venialibus et levibus;

alio enim loco dicit [1]: «Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.» Et tamen vir iustissimus accusat se palam, et de minoribus noxis se accusat, reumque se confitetur [2]. «Si abscondi,» inquit, «quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.» In quae verba Gregorius [3]: «Haec sunt, inquit, verae humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. At contra, usitatum humani generis vitium est, et latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare.» Et infra: «Notandum, quod superius virtutes suas loquitur, inferius peccatum fatetur. Hinc enim liquido demonstrat, quam vera de bonis suis dixerat, qui noluit tacere de malis. Modo virtutes suas indicat, modo culpam, quia et perpetraverit peccatum, et non tacuerit, manifestat. Vnde certissime apparet, quantae munditiae in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui et vitavit mala ne committeret, et tamen quae eum committere contigit, hominibus non abscondit; quatenus ei et iustitiae sit gloria, declinasse peccatum, et iustitiae custodia, quod non potuit declinare, prodidisse.» Quod si levium peccatorum confessio, ad conservandam augendamque iustitiam, tantae fuerit olim virtutis et efficaciae, quando aliud non erat quam humilis imbecillitatis suae professio, nudaque apud homines assertio veritatis, quam coram Deo detexerat; quanta erit illa ipsa accusatio, quando non istarum solum aliarumque virtutum exercitium est, sed praeterea legis gra-

1 Iob, XXVII, 6.
2 Ibid. XXXI, 33.
3 XXII Moral. 13 et 14.

tiae Sacramentum, quod nos purificat, renovat, et per Christi sanguinem a peccatis emundat. Sed quoniam in illorum gratiam, qui confessionis huius praxim adhibent, et per hanc ad perfectionem enituntur, libri multi conscripti sunt; ut S. Patri nostro fiat satis, praescribenti ut nostris [1] «Modus bene et fructuose confitendi tradatur,» dicamus breviter haec tria: de quibus peccatis, qua dispositione, et qua forma instituenda sit confessio venialium.

Quantum ad primum, supponamus ut certum, peccata omnia mortalia materiam confessionis necessariam esse. His igitur alia regula danda non est, praeter hanc: omnia, de quibus constat quod mortalia sint, itemque ea, de quibus, post examen prudens, probabiliter dubitatur an talia sint, cum specie et numero in confessione declaranda esse. Quoniam vero libere et absque lege obligante venialia confitemur, confessio haec vitium incurrere potest in utramque partem extremam; medium quisque teneat, quod conducibilius existimabit, ad puritatem suam maiorem profectumque spiritualem. Etenim extrema duo, quae in examine accidunt, ut supra retulimus, aliis nihil invenientibus quod examinent, aliis nimis vehementer et anxie id agentibus, in hac etiam confessione usui veniunt. Vnis enim accusationis materia prorsus nulla occurrit, aliis adeo copiosa, ut dicendi seque excutiendi nullum faciant finem. Alii ad instar molae confessionem adeunt, et accusant se identidem de iisdem; vel per conditionales, si adhaeserint, si excesserint, si consenserint; vel valde generaliter, non repulisse se, neque restitisse cogitationibus, ut debebant, non continuisse oculos, non appendisse verba, non servavisse temperantiam in

1 Part. III, c. 1, § 20.

mensa, ut par erat, exercitia spiritualia non praeparavisse, neque ea diligentia, reverentia, attentione peregisse, quam res postulat, etc. Sicut autem hic loquendi modus valde genericus est, ita huic subiici potest peccatum grave, veniale, imperfectio, quandoque etiam meritum, si restiterit quidem peccato, non eo tamen fervore, quo tenebatur. Hinc fit, ut per istiusmodi confessionem, neque poenitens se declaret, neque confessarius poenitentem cognoscat, verum aeque post confessionem, quam ante, statum eius ignoret. Alii, e contrario, anxietate nimia cogitationes motionesque animi ea subtilitate detegunt, quam ipsimet non assequuntur, eaque numeri accuratione, quam inire non datur. Hinc numquam cessant declarando, quod ipsimet non intelligunt, revocando saepius id, quod iam affirmaverant, moxque affirmando quod revocaverant; displicentque sibimet ipsis, veluti desperantes fore umquam ut officio satisfaciant, ad quod se arbitrantur obstrictos. Revera negotium, quod sibi imponunt, humanas vires excedit; atque in stuporem illos hoc agit, et ad omne exercitium bonum reddit ineptos.

Vt inter haec extrema medium teneatur, notandum est, devotionis meae negotia, non ita assumenda esse, ut devotionem impediant. Atqui confessio venialium, quae cognoscuntur ut talia, non obligationis, sed devotionis negotium est; procul ergo ab hoc negotio abesse debet fatigatio omnis et anxietas, quae devotionem suffocat. Figendus oculus in regulas supra propositas ad Examinis punctum tertium. Supposito enim quod tam examinis quam confessionis finis communis sit, puritas scilicet animae maior, et devotionis profectusque spiritualis augmentum, quae non conducunt ad examen bonum, neque ad confessionem conducunt. Imo contingit, quaedam intra conscientiam utiliter di-

scuti, quorum confessio, ob rationes singulares, nocere possit. Sit ergo regula haec generalis, in confessionibus arbitrariis, ea recte declarari, quae prodesse experimur, et non obesse; dilatare animum, non illaqueare; incrementum virtutum et notitiam Dei parere, non decrementum. Vt vero magis particulariter rem agamus, tria genera sunt eorum, quae in hac confessione declarari possunt.

Primo, peccata venialia advertenter, deliberate et malitiose facta; ut sunt mendacia, praesertim ea quae Superioribus imponunt, vel eorum voluntatem avertunt ab alicuius oneris iniunctione, vel inducunt ad honoris cuiusdam assequutionem. Item murmurationes, potissimum quando fiunt ex invidia, odio, indignatione; contentiones, verba ad iniuriam aut despectum prolata, quae non attingunt culpam gravem, nugatoria, vel otiosa cum excessu; refectiones extra tempus, et non necessariae; et alia his similia, quae fiunt deliberate et advertenter. His adnumerantur amicitiae particulares, quae suspicionem et periculum ingenerare possunt, ne declinent a principiis suis, et a spiritualibus carnales fiant; aspectus curiosi et fixi, dona et litterae, et alia, quibus bona aedificatio periclitatur. De his omnibus convenit se accusare, addito etiam numero; credibile enim est, perfectionis candidatos, qui confessionem frequentant, neque adeo propositi sui esse immemores, ut lapsus istos non persentiscant; neque hos tam multos esse, ut levi negotio numerus iniri nequeat.

Secundo, genus aliud venialium est, non tam a voluntate deliberata, quam ab infirmitate, vitium contrahens; tanta enim liberi arbitrii fragilitas est, ut facillime inflectatur et declinet a via recta, atque a divinae voluntatis perfectione recedat. Haec peccata neque pos-

sunt examinari omnia quaecumque accidunt, neque minutim in confessione exponi quae cognoscuntur; sed pro maiori parte dumtaxat et generaliter, accusando se de segnitie, culpisque commissis in verbis superfluis et inconsideratis, in cogitationibus vagis et inutilibus, in distractionibus, in tepore orationis, etc. Advertendum tamen, huic generi subesse quamdam peccati materiam periculosam et viscosam, neque minus verecundam, ut in cogitationibus turpibus, vel incuria circa visum vel tactum. Consulendum est, ut in hac materia sincere humiliterque declaretur, quidquid intra animam latet; tum quia hac ratione sistitur tentationis progressus, et technae daemonis dissipantur, qui magnopere abhorret lucem; tum quia via sternitur, et ex parte non parva difficultas confessionis superatur, si fortasse lapsus superveniat gravior.

Tertio, quaedam sunt, quae ne quidem attingunt culpam venialem; ut violatio regulae vel ordinationis, nullum inducentis peccatum, similesque imperfectiones, quas his, qui profectui suo student, divinae lucis radius detegit. Supervacaneum esset haec singillatim persequi, et quorumdam accusatio redundare posset in honorem et vanitatem. In harum imperfectionum confessionibus duo notari possunt. Primo, si defectus sit in materia, in quam impingo identidem, quamque saepius proposui vitare; tunc etiam ratio lapsuum, quae redditur, fraenum est adversus relapsum, ut dicetur in libro secundo de Examine particulari. Secundo, si defectus sit talis ut pariat verecundiam, praesertim in materia plurimum conferente ad profectum in spiritu, v. g. defecisse a poenitentiis ordinariis, non satisfecisse exercitiis spiritualibus, etc. Nihilominus verum est, quasdam animas tot coelestibus favoribus cumulatas, tot gratiis praeventas, tanto Dei amore aestuantes, tantis-

que illi complacendi desideriis succensas esse, ut gravius ferant, amariusque deplorent imperfectionem etiam minimam; neque aliud solatium sentiant, quam sui accusationem, iis intermixtam lacrymis eoque sensu cordis, quem dolor animi parit. Quid his facias? Permitte, ut illo pane lacrymarum satientur, quo Deus illas sustentat; locumque da, ut se humilient ante Deum, et iuxta desiderium suum confessionis rubore se castigent, quem confessario ordinarie maiorem exeutiunt. Haec de venialibus in confessione deponendis.

De altero capite, sive dispositione ad hanc confessionem necessaria, pauca adnotanda occurrunt. Constat enim eam postulari, quam requirit hoc Sacramentum, hoc est, examen, dolorem, propositum emendationis. Neque, ut peccata sint levia, propterea levis sit et perfunctoria praeparatio, quoniam negotium momenti non levis est, de Sacramenti huius fructu participare. Tempus tibi sume, locum elige convenientem, ut tecum habites, et consideres, quam rem agere instituas; non te auferat consuetudo generalia proloquendi, examina culpas in particulari, quantum postulat ea forma confessionis, quam declaravimus. Circumspice motiva, ut dolorem elicias, et pro defectuum conditione propositum emendationis. Etenim si culpae sunt primi generis, sive advertenter et deliberate commissae, proposito indigent absoluto, ne umquam redeant posthac, id autem impetrare poteris per gratiam in Sacramento communicandam. At vero, si alterius generis sunt, quum sine Dei privilegio speciali, quod paucissimis datur, longo tempore culpas illas omnes vitare non possis, temerarium foret propositum istiusmodi. Quoniam tamen absque emendationis proposito poenitentia stare nequit, propone generaliter diligentiam adhibere, quamcumque per divinam gratiam conferre poteris, ut si non

possis declinare omnia, saltem illa imminuas. Deinde contemplare animo dispositionem, quam proposuit Christus Apostolis suis [1]. «Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.» Pedibus enim terram tangentibus, semper pulvis aliquis adhaerescit, qui illorum lotionem postulet iteratam; iustus itidem, qui per Dei gratiam mundus est a mortalibus, quoniam pedibus terram terit, venialibus quibusdam sordidatur, semperque lotione indiget nova. Quoties ergo confessionem adit, imaginetur sibi, se ad Christum accedere linteo præcinctum, paratumque sanguine suo sordes pedum lavare. Eo timore, ea verecundia et reverentia erga personam Christi, in lucem proferat culpas, qua Petrus pedes suos exporrexit; ea dispositione et oblatione sui, tamquam si in culpas graviores prolapsus, lavandas offerret manus et caput.

Formam confessionis, de qua tertio loco dicendum superest, reducit Bernardus [2] ad conditiones tres, humilitatem, puritatem sive sinceritatem, et fidelitatem sive fiduciam veniae. «Omne, inquit, quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter, et has vices implesti. Sunt, inquit, qui gloriantur, quum male fecerint, et exultant in rebus pessimis; verum hos ab hac disputatione tamquam saeculares amoveo. Quamquam et de his, qui religiose vestiti et religionem professi sunt, nonnumquam audimus, aliquos reminisci et iactare impudentissime mala sua praeterita; saecularis autem animi indicium est hoc. Nonnulli talia, quasi dolendo et poenitendo rememorant, sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, seipsos illudunt.» Altera confessionis conditio est, ut sit

1 Ioan. XIII, 10.
2 Serm. 16 in Cant.

pura, sive simplex. Liquor dicitur purus, qui nullo alio liquore miscetur; confessio igitur non erit pura et simplex, quando accusatio excusationibus commiscetur, et culparum propriarum agnitio alienarum manifestatione velatur. «Oportet autem et esse simplicem confessionem, inquit. Non intentionem excusare delectet, si sit rea; nec levigare culpam, quae gravis est; nec alieno adumbrare suasu, quum invitum nemo coegerit. Primum illud, non confessio est, sed defensio, nec placat, sed provocat. Sequens monstrat ingratitudinem, et quo minor reputatur culpa, eo minuitur et gloria indultoris. Iam a postremo primi hominis dehortetur exemplum, nec culpam quidem diffitentis, nec tamen consequentis veniam; non dubium, quin ob reatus mulieris admixtionem. Genus excusationis est, quum argueris tu, alium incusare. Denique, sit et fidelis confessio, ut confitearis in spe, de indulgentia penitus non diffidens, ne tuo te ore non tam iustifices, quam condemnes.» Haec Bernardus.

Supra haec omnia curandum est, ut confessio sit integra, etsi non sit obligatoria. Anne uspiam confessionis obligatio occurrit minor, quam in casu, quo peccatum rite legitimeque confessario alias declaratum est? Atqui tamen de hoc casu sic statuit S. Pater [1]: «Qui autem alii, quam suo confessario designato confiteretur, debet postmodum, quantum recordari poterit, eidem suo confessario totam suam conscientiam aperire; ut nihil ignorando, quod ad illam pertineat, melius in Domino possit eumdem iuvare.» Liquet autem, hoc non solum praescribi in culpis levioribus, sed longe magis in gravioribus et maioris momenti; maior enim est has non ignorandi necessitas, ut poenitens «in Domino me-

1 Part. III, cap. 1, litt. Q.

lius iuvari possit.» Tanti igitur fecit Ignatius confessionis sinceritatem et claritatem, ut calcatam voluerit verecundiam, timoresque omnes humanos, ex infirmitatis huius adapertione oriri solitos, etiam ubi nulla sese insinuat confitendi obligatio vel praeceptum. Certum est, personas spirituales complures in hoc negotio gravissime periculosissimeque deludi. Saeculares enim, ut Bernardus supra testatur, gloriantur quum male fecerint, et propterea non verecundantur peccata sua propalare; e contrario vero illi, qui in spiritualium virorum catalogum semel se retulerunt, existimationem auctoritatemque suam in hac vanitate ponunt, ut illi esse videantur, quorum vitam et mores exterius profitentur. Quod si semel aberraverint via recta, graviterque lapsi sint, anxiantur, et laborant summopere, ne posteaquam exciderunt gratia Dei, praeterea apud confessarium integritatis suae opinionem imminuant; verendumque est, ne non tantopere doleant de commissione delicti, quam de eiusdem confessione, atque in illos cadat illud Tertulliani [1]: «Plerosque publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, pudoris magis memores, quam salutis, et ita cum erubescentia sua pereunt.» Peius est, quod deplorat Bernardus [2]. «Sunt, qui propter humanam confusionem, sine respectu divini timoris, pleni sordibus, audacter se ingerunt tantis mysteriis, (divini altaris). Audiant autem quod scriptum est: «homo videt in facie, Deus autem in corde [3].» Sed illi plus metuunt hominem, quam Deum. O caeca

1 Libro de Poenit. in fine.
2 De ord. vitae, initio.
3 1 Reg. xvi, 7.

temeritas! o mira Dei patientia!» Adversus hoc crimen grande remedium est, confessionis viam semper apertam tenere, atque e culpis ordinariis illas pandere, quae maiorem verecundiam pariunt; et quamquam solos pedes lavandos afferat, lavacro huic offerre etiam manus et caput, ut superius dicebamus. Non abscondat quidquam, quod remordet conscientiam, neque permittat residere spinam in corde, cuius punctione cor palpitet die ac nocte, absque spe solatii et quietis. Propterea sic scribit S. Dorotheus [1]: «Admonuere crebro maiores nostri, non debere pati monachum remorderi sese aliquando a conscientia sua, una quidem re minima.» Sed et audiamus ad hoc propositum exhortationem Ioannis Climachi [2]: «Noli, o fili, atque Domino obediens, spiritu elationis decipi, neque peccata tua veluti ex persona alterius magistro denunties. Neque enim licet absque verecundiae rubore, aeterna confusione liberari. Aperi, denuda, detege medico vulnus tuum. Dic, age, noli confundi: Meum vulnus est, Pater, mea plaga, cuius mihi causa fuit, non alterius, sed propria negligentia. Nemo huius auctor extitit, non homo, non spiritus, non corpus, non aliud quidquam, nisi desidia mea. Esto, dum confiteris, habitu, spe, cogitatione, ut condemnatus reus, demissis in terram luminibus, atque si fieri potest, magistri aut medici pedes, ut Christi pedes, lacrymis riga. Solent nonnumquam daemones nos, ut aut non confiteamur, hortari, aut certe ut hoc veluti ex alterius persona faciamus, sive ut alios quosdam peccati nostri insimulemus auctores. Sicut certum est quod consuetudo plurimum valet in malis, (cuncta ex ea pendent, eamque sequuntur); omnino longe amplius ea valebit

1 Doctrina 3 sub finem.
2 Gradu 4 post med.

in bonis, quum potentissimum habeat adiutorem Deum. Noli, o fili, annis plurimis laborans lassescere, donec in teipso beatissimam invenias requiem. Quod si teipsum in initio toto animo ignominiis exposuisti, ne indignum putes, adiutori ac magistro tuo, tamquam Deo, vultu animoque demisso culpas tuas confiteri.» Haec Climachus, qui verbis ultimis tangit stimulum, praesertim pro hominibus Societatis, efficacissimum, quos S. P. N. sub ingressum examinari iubet in hunc modum [1]. «Interrogetur, an decreverit, paratusque sit huiusmodi iniurias, illusiones, et opprobia in Christi insignibus inclusa, et alia quaevis, quae ei inferrentur, sive per quemvis ex domo vel Societate, in qua obedire, et humiliari, ac aeternam beatitudinem consequi exoptat; sive extra eam per quemvis viventium, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo, admittere et patienter pro Dei gloria ferre.» Si unusquisque nostrum se obtulerit ad ferendas aequo animo iniurias aliunde illatas, quanto magis paratus esse debet ut semetipsum manifestet, quando et tempus et occasio ad animae suae bonum id postulant? Profunda humilitas virtutumque excellentia hoc pacto probantur, neque inter omnia Beati Iobi decora, quae virum hunc posteritati omni spectatissimum reddidere, quidquam adeo rapuit Gregorium Papam, quam ingenua confessio peccatorum. Qui in haec verba Iobi [2], «si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam [3],» «Videatur, inquit, vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis; mihi certe sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo, qui volunt, castitatis conti-

1 Exam. cap. 4, 5, 45.
2 Iob, xxxi, 33.
3 Greg. Moral. lib. XXII, cap. x.

nentiam, mirentur integritatem iustitiae, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. Scio enim quod per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis, commissa peccata prodere, quam non admissa vitare; et unumquodque malum, quamvis robustius videtur, tamen humilius proditur.» Haec Gregorius.

LIBER SECVNDVS

DE EXAMINE CONSCIENTIAE PARTICVLARI [1]

CAPVT I

QVID SIT EXAMEN PARTICVLARE, EIVSDEMQVE DIFFICVLTATES

S. P. N. Ignatius in ipso statim libelli Exercitiorum principio examen hoc proponit, his verbis: «Examen particulare et quotidianum, tria tempora complectens, ad dispositionem sui et duplicem discussionem accommoda. Primum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum a somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, a quo emendari cupit. Secundum est pomeridianum, in quo petenda est a Deo gratia, ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum illud particulare inciderit, et in posterum cavere. Deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato seu vitio iam dicto, et singulas diei partes praeteritas percurrens, ab ea hora qua surrexit, usque ad praesentem, quoties illud commiserit: et puncta totidem signet in priori linea figurae subscriptae. Quibus peractis, denuo proponat, per spatium diei reliquum

1 Ex editione Antuerpiae facta anno MDCCIV.

diligentius se cohibere. Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post coenae horam facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priori usque ad praesens lapsis: et eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriori linea figurae sequenti similis, ad hoc praeparatae.»



Etsi autem tam in sanctis Patribus, quam in ipsis etiam Philosophis et Ethnicis, quaedam circa hoc examen dictamina reperire sit, nullus tamen omnium sub nomine particularis examinis exercitium hoc tractavit, nullus cum observationibus ab hoc scriptore adhibitis. Vt adeo hoc exercitium Societatis nostrae proprium, eiusdemque Fundatori a Spiritu sancto singulariter inditum fuisse videatur; qui, sicut Constitutionum nostrarum auctor creditur, ita etiam ad perfectam harum observationem, normam huius examinis inspiraverit.

Iuxta normam igitur a sancto Conditore nostro propositam, examen hoc definiri, sive potius describi po-

test hoc modo: Examen particulare, est lucta spiritualis cum vitio aliquo singulari, consistens in proposito non labendi, in sollicitudine propositum hoc complendi, in discussione an lapsi fuerimus, in collatione temporum inter se, ut liqueat an et quae emendatio subsequuta sit, atque hac ratione vitium, quod magis nos infestat, radicitus extirpetur, virtusque magis necessaria inseratur; quod exercitium omni tempore, et ab omni hominum genere, convenit adhiberi. In hac descriptione detegitur in primis examinis huius natura, quae certamen quoddam est, sive lucta spiritualis; deinde aperiuntur huius exercitii causae, materialis, formalis, finalis, et effectiva. Materia enim est vitium particulare, quod praecipuam ciet molestiam; vel virtus vitio illi opposita, cujus prae caeteris indigemus. Forma est, propositum matutinum circa vitium hoc, aut virtutem; cura peculiaris per diem, ne in vitium hoc incurramus, vel ut virtutis contrariae actus praestitutos eliciamus; discussio sui, tum meridiana, tum vespertina, an vitium contraxerimus, aut virtutis actus praestiterimus; comparatio temporum inter se, ut vel lucrum nostrum assequamur, vel damnum. Finis est, eradicatio vitii huius, oppositaeque virtutis insitio. Causa denique efficiens sunt omnes homines, qui si virtutis profectusque sui studiosi sunt, huic exercitio omni tempore incumbere satagunt. Haec vero omnia singulaque minutius iam pertractare aggredimur. Det utinam Deus Dominus verbis meis vim et virtutem, ut et exercitii huius excellentiam detegam, et lectoribus praxim eius persuadeam, sedulo et assidue adhibendam, si quidem in stadio perfectionis progressum serio meditentur.

Ante omnia igitur sciendum est, examen hoc luctam quamdam esse, quae cum vitiis initur. Lucta haec molesta est, quia in agone intra nos contendendum est,

pertinax, quia non desinit, nisi cum vita; periculosa, quia vix invenias, qui in hoc certamine laesionem omnem declinet; dubia de victoria, quia nisi Deus per gratiam suam infirmitati nostrae succurrat, victi in hoc praelio profligatique cademus [1]. «Pugnamus quotidie, inquit Augustinus, in uno corde nostro; unus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggerit avaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit laetitia ista popularis. Omnia suggeruntur, ab omnibus se continet, omnibus respondet, et ab omnibus aversatur; difficile est, ut non ab aliqua feriatur.» Ita ille. Vitae spiritualis semitam omnem, et dulcedine quadam, et fiducia, et securitate quadam perlui, nemo ibit inficias. Quid enim dulcius, quam sermocinari et conversari cum Deo? Quae spes gratior, quam quae divinitatis ipsius fruitionem promittit? Quid securius, quam Deum ipsum, et amicum, et commilitonem habere? Sed et hoc fatendum est, una vitiorum extirpatione viam hanc dulcissimam, et insipidam, et difficilem reddi. «Unum est, inquit a Kempis [2], quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis, seu labor certaminis. Enimvero illi maxime prae caeteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quae sibi magis gravia et contraria sunt, virilius vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, et in spiritu mortificat.» Videtur hic scriptor, etsi particularis examinis nomen reticeat, viam tamen huc sternere, atque ad id fortiter exstimulare. Mox enim examinis huius materiam suggerit, quando subdit [3]: «Duo specialiter ad magnam emenda-

1 In Psal. xcix, 1.
2 Lib. I, cap. xxv, n. 3.
3 Ibid. n. 4.

tionem iuvant; videlicet, subtrahere se violenter, ad quod natura vitiose inclinatur, et ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget.» Ne vero quisquam decipiatur, atque ignoranter praefidenterque hanc palaestram ingressus, ubi dificultatem praelii persentiscit, clypeum abiiciat, campumque deserat; de difficultate certaminis huius scriptor idem nos praemonet, et ait [1]: «Maior labor est resistere vitiis et passionibus, quam corporalibus insudare laboribus.» Atque hinc fit fortasse, quod examinis huius pugnam quamplurimi auspicentur, perpauci autem in eadem constanter perstent. Multus populus olim, et plus quam triginta millium bellatorum, duce Gedeone, adversus Madianitas egressus est [2]; sed quum in conspectum hostium exercitus ille omnis iam staret, duo et viginti millia, formidine victa, in domos suas reversa sunt. Ex decem autem millibus, quae supererant, plerique sitim perferre non poterant, sed poplitibus flexis, labiisque ad aquam fluminis applicatis, attractu pleno fauces aridas refocillabant. Trecentis solis humor ille suffecit, quem veluti transeunter vola manus captabant; atque hos dumtaxat, qui intra solius necessitatis terminos sitim explebant, censuit Dominus adhibendos esse ad victoriam de hostibus referendam. Faxit Deus, ut caecorum oculi aperiantur, qui non percipiunt, id in pugnis suis spiritualibus quotidie fieri, quod Gedeonis militibus accidit. Multi enim sunt, qui ad debellandos animae suae hostes cum gaudio se accingunt, sed difficultate territi victique recedunt. Quando hostis in conspectu est, et certamen iam poscitur, a siti rerum temporalium superantur, curvant in terram genua, ad temporalia se in-

1 Lib. I, cap. xxv, n. 11.
2 Iudic. vii.

clinant, sitim aquis Ægyptiis explere student, totis cisternarum istarum receptaculis non exstinguendam. Horum ignavorum aliqui, qui ad perfectionis aratrum miserant manum, ad saeculum et mores saeculi revertuntur; alii in suscepto religiosae vitae statu perstant quidem, verum eius spiritu destituti sunt; et quamquam animus illos deficiat ad praelianda praelia Domini, amant tamen istiusmodi militum non deponere larvam. Priorum istorum alios ad saeculum prolicit «Pes superbiae [1].» Victi enim a vanitate cordis sui, contemptum horrent, iniurias fugiunt, abiectionem Christi declinant; magnaque et sublimia appetentes, in confussionis aeternae praecipitium ruunt. Alios eiusdem generis impellit «Concupiscentia carnis,» qui cum vitiis suis, a Dei castris profugi, sedent ad Ægyptiacas ollas carnium; qui vestem animae candidam luxuriae vitiis maculant, pulchritudinem suam deturpant, gloriam obscurant, et iumentorum instar in stercore suo computrescunt. Alii, vitio alteri mancipati, respiciunt saeculum, atque abeunt retro. Hi omnes, etsi nomina sua militiae sacrae dederint, certamen tamen ipsum refugiunt, quia cum seipsis, cum vitiis suis, cum passionibus congredi timent. Qui quidem sibimet ipsis minime boni, non tamen usque adeo commilitonibus mali sunt, posteaquam rediverunt in domos suas, ab exercitu strenuorum militum separati; neque enim pravo suo exemplo sociis strenue decertantibus ulterius offendiculo sunt. Propterea Deus olim mandabat, ut populo ad bellum progrediente, meticulosi ab exercitu removerentur, ducesque per turmas singulas proclamarent [2]: «Quis est homo meticulosus et corde pavido?

1 Psal. xxxv, 12.
2 Deuter. xx, 8.

Vadat, et revertatur in domum suam : ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.»

At enim, ex formidolosis istis non desunt, qui certamen detrectantes, in exercitu perstant ; et quamquam de interitu adversantium affectionum, commune cum sodalibus dixerint sacramentum, amicitiam tamen fovent cum vitiis et passionibus inimicis, quando subterfugiunt examen particulare. Praetendunt hi nimirum spiritum conciliare cum carne, vitium cum virtute; spiritui dando aliquid, aliquid etiam carni; neque omnia passionibus denegando, neque nihil indulgendo virtuti. Hos assimilare licet Issachar filio Iacob, de quo sanctus Patriarcha parens eius [1]: «Issachar asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.» Asinos virentis herbae pratum ingressos, nulli fustes arcebunt, quin particulam inde decerpant. Serviunt asini domino suo, sed quum occasio tulerit, genium suum non defraudabunt. Horum instar sunt illi, qui debellare vitia sua reformidant. Vident «requiem,» hanc praeferunt bello. «Accubant inter terminos,» spiritus scilicet et carnis ; et quoniam requiem habent ut bonam, «tributum» pendunt utrique, ne cum alterutro decertandum sit. Tributum quod spiritui pendunt, quaedam opera poenalia sunt, mortificationes, observantiae externae ; quae plerimque magis ab invitis, quam a volentibus fiunt, lucrumque exiguum pariunt. Tributum carnis est, sollicitudo de negotiis saecularibus et temporalibus, excessus in iis rebus agendis, quae fori nostri non sunt, inquies perpetua, conscientiae

1 Gen. XLIX, 14.

angor. Quis modus contingendi veram spiritus libertatem, tot tributis gravato, atque «inter terminos» duobus dominis servienti? Istiusmodi homines eatenus spirituales sunt, quatenus sufficit ut forinsecus pro talibus habeantur; eatenus interioris hominis scientiam assequuti sunt, ut absque magistro de conscientiae negotiis disserere possint. Examinis particularis nomen compertum habent, virtutem non item; etenim, quum hoc exercitium efficax sit, acediamque expellat, nisi illi animum mutent, et affectiones quasdam desideriaque non recta subigere velint, vim et naturam huius examinis non assequentur.

Hoc genus hominum in vita communi non exiguo ferventioribus detrimento est. Quicumque enim in Dei castris versatur, et ad vitam vere spiritualem, atque ipsam perfectionem, adspirat, ad hunc scopum optat pertingere impensis quam minimis. Quando igitur illi hos ignavos sodales suos assidue contemplantur, qui et factis et verbis praeferunt, se absque tanto luctamine cordis pacem consequutos esse; quando audiunt perfectioni quam profitentur non adversari, si praetendant honorifica, si quaerant commodiora, si declinent quae vel honori vel commodis adversantur, si lautitias diverticulaque sectentur; quam facile fit, ut his exemplis pessimis pugil strenuus se accommodet!

CAPVT II

QVIBVS EX CAVSIS ORIATVR TEPOR CIRCA HOC EXAMEN

Ex fonte triplici tepor hic nascitur. Primus est, quod animus virtute mediocri contentus vivat, neque ad perfectionis culmen adspiret. Negligit is hoc examen, quoniam non quadrat fini, quem sibi praefixum habet,

neque enim amat minora vitia resecare. Secundus est, quod etiamsi ad perfectionem maiorem adspiret, illam consequi desperet; considerat enim naturae suae rebellionem, passionum vehementiam, vim habituum pravorum, occupationum impedimenta: hinc illi cadit animus, sibique fingit non posse se cum decem millibus hosti resistere, qui cum viginti millibus venit ad se, et propterea deponit arma, et rogat ea quae pacis sunt. Tertius est, quod perfectionis consequendae avidus, neque de eadem assequenda diffisus, media tamen huc non conferat omnia, verum ea dumtaxat, quae suavitatem spirant, et affectui gratiora sunt. Hinc orationi et contemplationi pronius sese applicabit, quam appetituum mortificationi, atque semihorae examinis praeferet recollectionis coniunctionisque cum Deo horas binas ternasque. Discussione sui toties iterata, censebit libertatem spiritus sui illaqueari; satiusque esse existimabit ad unionem cum Deo spontanee duci, quam operose animum examini huic intendere.

Primos illos in virtutis mediocritate quadam conquiescentes, quibus possumus argumentis verbisve efficacius stimulare, ut in supremum interioris hominis gradum, quem divinae gratiae adminicula offerunt, mentis oculum figant; quam iis ipsis, quae Hieronymus affert, ut Demetriadem nobilissimam virginem profectusque studiosissimam, ad virtutum apicem consectandum confirmet [1]? «Quum in omnibus, inquit, mundi studiis profectu non satientur homines, hic tantum coepisse sufficiet? Ferventissimi in terrenis, frigidissimi in coelestibus sumus; et summam in rebus parvis exhibentes alacritatem, ad maiora torpescimus. Consi-

1 Ad Demetriad. de Virginitate, quae incipit: «In summo» ante med.

derare pudet, quantus sit fervor in saeculo, qua cura singula quaeque studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur. Litterarum ardor nulla prorsus aetate exstinguitur, immo, ut saecularis auctoris utar sententia, ipsa magis aetate inflammatur; divitiarum ardor insatiabilis est, expleri nescit bonorum cupido. Celerem habiturae res finem, sine fine quaeruntur. Nos divinam sapientiam, coelestes divitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus; et spirituales divitias, aut ne attingimus quidem, aut si leviter degustaverimus, continuo nos putamus esse satiatos. Aliter nos divina Sapientia ad suas invitat epulas [1]: «Qui edunt me,» inquit, «adhuc esurient, et qui me bibunt, adhuc sitient.» Nullus umquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de satietate fastidium; tanto unusquisque capacior, tanto avidior erit, quanto plus hauserit. Dominus in Evangelio [2]: «Beati,» ait, «qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.» Vult enim esurire nos hic semper et sitire iustitiam, ut in futuro iustitiae retributione satiemur. Consideranda vis ipsa verborum est, et ita nobis desideranda est iustitia, ut in fame vel siti cibus desideratur ac potus.» Ita Hieronymus. Non possunt ad huius socordiae redargutionem rationes urgentiores afferri, aut similitudines magis accommodae. Non appetere summum, sed mediocritate quadam acquiescere, argumento est animam illam cibo illo prorsus destitui; quum, teste Nazianzeno [3], ad summa collineandum sit, ut vel mediocritatem contingas.

Ad secundos progrediamur, qui perfectionem appe-

1 Eccli. xxiv, 29.
2 Matth. v, 6.
3 Apologetico primo.

tunt quidem, sed illius obtinendae spem omnem abiiciunt. Huic morbo pharmacum Galeni, medici excellentissimi, et philosophiae de moribus magistri eximii, possumus applicare. Hic libro primo ex tribus illis, quos de dignoscendis curandisque animi morbis conscripsit, eamdem propemodum corrigendis vitiis methodum adhibet, quam S. Ignatius in examine suo singulari praescribit; hortaturque ut adversus ea totis viribus decertemus, etsi forte in hoc praelio inferiores victorias relaturi, quam aut Hercules, aut Achilles, aut alii duces nominatissimi de hostibus reportarunt. Ad fiduciam excitat, fore ut perseverantia in hoc certamine sanitatem integram afferat, quam optamus. Duo tempora Galenus exercitio isti designat [1], matutinum, et vespertinum; matutinum, ut proponat; vespertinum, ut acta sua discutiat. Constituit aliquis ex. gr. frenare iram, aut aliam passionem; mox ut e somno vigilaverit, perpendat occasiones per diem occursuras, pensetque quanti referat hominem ratione praeditum non subiici brutorum irrationabilium affectibus, seque illis veluti dominis gubernandum committere, firmiterque sibi imperet dedecus tantum arcere; vesperi ante cubitum, hunc ipsum affectum renovet, atque numerum ineat erratorum. Quoniam vero alii ob aetatem iam senescentem, alii ob vitia per consuetudinem diuturnam inveterata, animum ad victoriam integram despondere possunt, et quia diffidunt consequi summa, cogitant supersedere conamini ut inferiora consequantur; et hos, et illos, sapientissimus Medicus affatur his verbis [2]: «Neque deterreri quempiam oportet, ne seipsum conetur meliorem efficere, etsi iam factus quinquagenarius

1 Lib. I, cap. 6.
2 Ibid. cap. 4 init.

sentiat sibi animum vitio, nec insanabili, nec irreparabili, deformatum. Nam ne quidem male quispiam habens secundum corpus, malae isti habitudini se sicut victum dediderit, etsi quinquagenarius sit. Quin potius omni ratione conabitur ipsum corpus in melius restituere, quamvis compertum habeat se numquam Herculeam valetudinem consequuturum. Ne igitur nos quoque deterreamur, ne meliores nos ipsos animo reddamus, quamvis compertum nobis sit, animum nos non posse consequi Sapientis; verum maxime speremus, illum etiam nos habituros, si a teneris ipsum hunc nostrum curare coeperimus. Sin minus hoc obtinere possumus, at saltem, ne totum omnino deformem geramus, ut Thersites corpus suum, sollicite curemus. Etenim, si antequam existeremus, in potestate nostra fuisset convenire illum, qui providebat ut nasceremur; et primo quidem orantibus nobis, ut corpus strenuissimum generosissimumque ab illo liceret accipere, ille denegasset; tum profecto precati fuissemus, ut secundo saltem gradu, aut tertio, aut etiam quarto, proximum primo valetudinis corpus nobis concederet. Itaque, si Herculis non potuissemus, at Achillis accipere praeclarum quiddam nobis visum fuisset; quod si non huius, at Aiacis, at Diomedis, at Agamemnonis, at Patrocli; sin ne horum quidem, at saltem aliorum quorumdam heroum praestantiam. Eadem, ut arbitror, ratione, si quis supremam nequeat animi excellentiam obtinere, at saltem post supremos illos sapientes, in secundis, aut tertiis, aut etiam quartis se haberi non recuset. Hoc autem quod dico, non eiusmodi est, ut fieri non possit, si modo quis exercere seipsum velit, et longiori tempore assidua exercitatione periculum facere.» Hactenus Galenus. Hic igitur praeceptor gentilis, solam naturae lucem sequutus, ad erubescentiam nostram docet nos,

et perfectionis viam nobis aperit, quam tot christiani evangelico lumine illustrati, videre recusant. Animat nos ad certamen unius naturae viribus ineundum, quod nos, divinae gratiae virtute armati, heu nimium declinamus. Erudit nos, hanc palaestram intrantibus, non absque aliqua sui demissione, primas dandas esse illis, qui maioribus a Conditore rerum auxiliis, et quodammodo velocioribus equis instructi, felicius ad metam pertingunt; et saltem adnitendum esse, ut post primos illos virtutis adoream sectemur, quam accipere fas est; magni faciendum esse gradum hunc, quantumvis inferiorem, lucroque insigni apponendum, si vel hunc labore quovis consequi detur. Non sit igitur nobis concessum ad Ignatii, Xaverii, totque aliorum heroum nostrorum perfectionem conscendere; at noverimus inter adminicula efficacissima, quibus illi supra affectus terrenos se tantopere elevarunt, hoc fuisse, quod versamus, examen particulare; et hoc ipso auxilio adnitamur viros tantos, si non assequi, at saltem imitari quam proxime.

Superest ut etiam tertiis respondeamus, qui reipsa perfectionem suam desiderant, neque de illius consequutione desperant; et tamen bellum hoc cum vitiis subterfugiunt, seque aliis exercitiis quietioribus et suavioribus dedunt, orationi, contemplationi, actibus amoris divini, unioni cum Deo, atque in ipsa perfectionis christianae medulla toti sunt. At enim, daturne aditus ad possessionem terrae lacte et melle manantis, nisi prius adversum habitatores eius strenue decertetur, illique deleantur «in ore gladii [1]?» Contingit quidem, imagines quasdam rarissimi pretii penicillo effórmari et perfici, opere minime laborioso. Pari ratione reperias

1 Deuter. xx, 17.

quasdam animas absque lucta affectuum placide Deo coniunctas, atque haud dispares Beniamino, de quo scriptum est [1]: «Amantissimus Domini, habitabit confidenter cum eo. Quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros eius acquiescet.» His, vel naturae bonitas singularis, vel solitudo, et occasionum noxiarum remotio, vel Dei sese creaturae suae communicantis favor peculiaris, hoc impertit; ut ad internae pacis dulcedinem, devotionis ubertatem, sponsique praesentiam degustandam, necesse non habeant ex condicto cum adversariis spiritualibus depraeliari. Sed enim virtutes inter delicias illas prognatae, lege ordinaria flaccidae infirmaeque sunt; neque perdurant, nisi eodem, quo natae sunt, alimento nutriantur et conserventur. Atque adeo hominibus Societatis nostrae virtutes istae non quadrant, quibus «ad veras solidasque virtutes consequendas insistendum est, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores,» ut ait S. Fundator noster [2]. Virtutes autem solidas liquet esse illas, quae inter praelia cum vitiis contrariis, perque actus sibi proprios partae sunt. Hae a solatiis illis internis non dependent, neque ad calores tempestatesque tentationum, neque ad occasionum illecebras dissolvuntur. Atque hae revera virtutes apostolicae sunt, quibus Evangelii praecones insignitos esse oportet. Etsi enim lectulus, in quo anima cum Deo deliciatur «floridus est [3],» at profecto «lectulum sexaginta fortes ambiunt.... omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos [4].» Horum fortium similes esse oportet

1 Ibid. xxxiii, 12.
2 Reg. xxii summ.
3 Cant. i, 15.
4 Ibid. iii, 7.

bellatores illos, quos Deus in Ecclesia posuit, ad animarum custodiam, quae contemplationis somno distinentur; instructos virtutibus certamine martio acquisitis, interea dum quaedam animae horum directioni commissae, pacifice conquiescunt in Deo; eruditos experientia propria, ut praevertere valeant technas inimici, assultibus eius resistere, sanctasque excubias agere, ne Christi sponsae in hac sua requie, paceque sancta turbentur. Quod si ad earum animarum tutelam, quae singulariter Deo coniunctae sunt, necesse est magistrum patremque spiritualem in luctis adversus vitia experimento probatum esse; quanto magis id requiritur in eodem, ut ad caeterorum regimen per loca variæ et provincias discurrere possit, agere negotia omnis generis, serpentes inter et basiliscos versari, tot inter occasiones, non dico distractionum ariditatumque internarum, verum etiam casuum vivere. En igitur causam, quae S. P. Ignatium impulit, ut accuratius, quam aliud quodcumque exercitium, hoc pertractandum susciperet, utpote filiis suis maximopere opportunum et proprium. Non illo quidem dumtaxat intuitu, ut illud aliis inculcemus, quorum lucro spirituali intendimus; verum ut nos ipsi illud familiariter usurpemus, quorum finis primus et praecipuus est «Saluti et perfectioni propriarum animarum vacare.» Finem hunc si recte perpendimus, unaque animum advertimus ad rebellionem naturae, quam persentiscimus passim, vel a vehementia passionum prognatam, vel ab impetu consuetudinum in sacculo contractarum, vel a distractionibus negotiorum occupationumque varietate, vel ab occasionum inde pullulantium multitudine, vel a devotionis defectu, orationisque ariditate; certum est, ob hasce causas, et ob quamlibet earum, homines illos, qui inter homines conversantur, verboque et exemplo salutis et perfectio-

nis viam proximo aperire tenentur, nisi sui ipsorum periculum adire ament, virtutibus solidis, exercitatis, adamantinis, diuturnoque luctamine roboratis, necessario indigere. Et debere assimilari populo Dei, templum Israelis dirutum aedificanti, qui [1] «una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium;» his enim identidem adversus vitia et passiones sibimet proprias decertandum est.

Synopsis igitur capitis huius haec est. Examen particulare bellum esse quoddam spirituale adversum vitia, ab hoc bello cessandum esse numquam, neque ex pusillanimitate, sive timore difficultatis, neque conquiescendo in mediocritate quadam virtutis, neque diffidendo de perfectione ipsa acquirenda, neque divertendo ad exercitia alia appetitui gratiora. Superest ut normam singularem a S. P. Ignatio praescriptam exponamus. Hoc est, formam, materiam, (quae vel vitium est, vel virtus vitio illi contraria), tempus et horas, et circumstantias alias; quae, Deo auspice, capitibus sequentibus persequemur.

CAPVT III

DE FORMA, SIVE MODO HVIVS EXAMINIS: ET PRIMO, DE PROPOSITO MATVTINO

Forma, sive modus eius, ad partes seu puncta quatuor reducitur. Quorum primum est, mane posteaquam surreximus, propositum facere circa vitium quod persequimur, aut virtutem quam sectamur. Secundum, caute se habere per diem, ut propositum hoc praestetur. Tertium, examinare defectus, in quos incurrimus.

1 2 Esd. IV, 17.

Quartum, conferre tempus cum tempore, ut progressus aut retrogressus innotescat. Primum igitur huius exercitii punctum, et primus veluti passus, est propositum matutinum, de quo S. Pater sic scribit: «Primum tempus est matutinum, quo debet homo statim quum a somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod, a quo emendari cupit.»

Ad textum hunc, notandum primo, propositum dici determinationem voluntatis firmam, et in primis illam, quae rem difficilem spectat, et contradictioni resistentiaeque in exequutione subiecta est. Etenim in rebus facilibus, sufficit velle, sufficit consentire, ut opere ipso res efficiatur; in difficilioribus autem, velle ipsum non sufficit, sed voluntatis imperium tenacius obfirmandum est, ut effectum sortiatur. Obfirmationem hanc proprie propositum dicimus. Differentiam hanc inter voluntatem simplicem et propositum, Apostolus ipse, ubi de virginitate sermonem habet, aperte insinuat; diversimode enim loquitur de parentibus, qui filias suas nuptui dant, et qui easdem thoro maritali eximere student. De prioribus enim, utpote re non ardua, et propensioni naturae congruenti, sic ait [1]: «Si quis turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri, quod vult faciat; non peccat, si nubat.» De posterioribus vero, utpote re difficili, sic [2]: «Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.» Vides rem difficilem, quae attentionem in deliberatione postulat, firmitatemque in exequutione, non voluntatem nudam, sed statutum dici? Quod S. Paulo

1 1 Corint. VII, 36.
2 Ibid. ỳ. seq.

statutum, id S. Ignatio propositum est. Huc etiam fortasse respexit David, quando considerata naturae nostrae rebellione, et reluctantia appetituum, de divinorum mandatorum custodia loquitur in hunc modum [1]. «Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae.» Ecce, non tantum statuit, verum etiam iuravit; unde colligimus, id proposuisse Davidem, posteaquam deprehendit difficultatem in iudiciis iustitiae adimplendis. Difficultas ergo occurrit in examine particulari; illi enim vitio bellum indicimus, quod prae caeteris nos infestat, primusque belli huius passus est, certamen singulare inimico huic denuntiare, quam denuntiationem propositum nuncupamus.

Notandum secundo, propositum istiusmodi et finem esse orationis, meditationis, ipsiusque examinis generalis; et esse principium examinis particularis, sicut alibi observavimus. Finis enim orationis sive meditationis est, iuxta praxim S. Patris nostri, movere voluntatem, ut in toto primo exercitio trium potentiarum manifestum est. Horum autem motuum, sive affectuum finis, sunt ipsa bona proposita, ut liquet ex illius exercitii colloquio, ubi ait: «Arguam insuper meipsum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo, quid agam tandem, aut agere debeam.» Quid sibi vult, «percontari quid agere debeam?» Nihil aliud, quam proponere. Patet itidem locis aliis plurimis evidenter, non alio deducere Exercitia, quam ut inde eruantur bona proposita, ad morum emendationem, Deique gloriam maiorem. Ille ipse generalis etiam examinis finis est, utpote cuius punctum quintum et ultimum circa propositum emendationis versatur. Horum omnium ratio perspicua est. Propterea quod finis

1 Psal. CXVIII, 106.

Exercitiorum istorum S. Ignatii, siquidem recte instituantur, non sit alius, quam vita bona, et sanctificatio animae; principium autem vitae bonae et sanctificationis sit in actu exercito bonum propositum. Finis igitur et fructus horum Exercitiorum non alius esse potest, quam hoc propositum. Iure merito igitur monet Ecclesiasticus, nihil pluris faciendum esse bono proposito [1]. «Cor,» inquit, «boni consilii tibi statue,» hoc est, voluntatem firmam constitue exequendi quod recte concepisti; «non est enim tibi aliud pluris illo,» hoc est, nihil est maioris utilitatis. Rationem mox subiicit, quoniam propositum hoc actiones nostras firmat et dirigit universas; sic enim ait [2]: «Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile;» hoc est, non mentiaris tibi ipsi, sed in actionibus omnibus propositum tuum exequere. Quoniam ergo particulare hoc examen instituitur, ad eorum exequutionem, quae in Exercitiis constituta sunt; ab hoc ipso proposito examen hoc principium ducit, in quo veluti in fine suo Exercitia caetera conquiescunt. Atque hinc apparet Exercitiorum spiritualium nostrorum ordo et connexio inter se; meditatio enim, et examen generale ad propositum tendunt; examen vero particulare, ad propositi exequutionem.

Hinc praeterea sese aperit dexteritas discretioque insignis, qua S. P. Ignatius animas dirigit ad perfectionem. Praescribit enim in ipso limine libelli sui discussionem peccatorum et defectuum ordinariorum per examen generale, ut adquirat homo cognitionem status profectusque sui praesentis; quibus scilicet passionibus acrius incitetur, quibus propensionibus vehementius

1 Eccli. xxxvii, 17.
2 Ibid. ỳ. 20.

abripiatur, quibus consuetudinibus turpius succumbat, quibus vitiis potissimum serviat. Dein profert meditationes, quarum adminiculo seipsum excitet, ut melior fiat, vitiorumque extirpandorum, virtutumque contrariarum inserendarum proposita sibi efformet. Atque ut haec proposita efficaciter redigantur ad praxim, bellum iniri vult cum vitio quolibet singulariter. Modum belli huius designat, proponere singulatim contra hoc vitium; et cadendo, iterumque animos resumendo, ut luctantibus accidit, propositum renovare, donec hostis integre subigatur. Quid benignius suaviusque ad sustentandam infirmitatem nostram consuli potest, quam dicere non despondendum esse, etsi in certamine sauciemur? Quid accommodatius ad fervorem excitandum, quam post lapsum assurgere, neque animis minoribus certamen redintegrare, quam si plaga non fuisset illata? Quae potest methodus concipi naturae nostrae consuetudinique humanae conformior, quam meditari ut proponas, proponere ut exequaris, propositum exequi ut recte agendi assuetudinem contrahas, contrahere assuetudinem boni, ut contrariam amoliaris? Hinc patet, exercitium proponendi, et roboris ingentis esse, et suavitatis haud minoris, ut fragilitati nostrae subserviat, atque in hac lucta cum vitiis inter duo extrema servemus medium admirabile, quae quum sint extrema, a vero virtutum tramite nos abducunt.

Extrema ista duo sunt haec: fervor indiscretus, et languor nimius. Et hinc, et inde, propositi toties repetiti taedium gignitur, quam tamen repetitionem exercitium hoc requirit. Ad fervorem indiscretum quod attinet, quidam aestu abripiuntur adeo vehementi, ut sufficere sibi existiment, si adversus passionem aut vitium proponant semel, rati se hac ratione omni eius sensu demceps liberos fore; numquam iracundiae sti-

mulos experturos, quando semel serio decreverint mansuetudinem servare, et non obsequi cholerae; numquam in verba obmurmurantia erupturos, quando semel decreverint vitium hoc ablegare. Quando ergo contingit, ut in defectus istos eosdem denuo recidant, affliguntur, seque ipsos cruciant, dum infirmitatis suae conscii experiuntur agendum esse adhuc, quod iam actum putabant. Nae isti praxim ignorant eradicandi vitia, virtutesque plantandi; arbitrantur enim id posse fieri simul et semel, veluti si imago opere fusili ex metallo formetur, quae actu unico et fit, et in statu suo firmatur. Haud aliter morbos illi suos curari volunt praecipitanter, et quasi per miraculum in uno temporis puncto. Venae sectiones, et medicinas catharticas respuunt, et ab aegritudine ad sanitatem integram absque intervallo transire festinant, nullam admittentes diaetam, qua sensim convalescant. Hi praetendunt sine alis volare, sine scalis turrim conscendere, atque omne virtutis stadium, non per passus, sed saltu uno percurrere; propterea semper in carceribus haerent, et a meta semper aeque remoti sunt. Fuit aliquando quorumdam error, docentium victoriam passionum ad apathiam quamdam pertingere posse; quae usque adeo in virtute animum obfirmaret, ut nulla penitus occasione mentis rectitudo ad obliquum detorqueretur, sed tranquillitate summa placide, et absque repugnantia virtuti solummodo viveret. Verum id commentum erat hominum evanescentium in cogitationibus suis, tempus pugnae convertentium in tempus pacis et praemiorum, beatamque vitam transferentium ad vitae huius militiam. Quamquam hoc phantasma evanuerit pridem, plurimos tamen hodie reperire est, qui vitam ita instituunt, atque si apathes forent. Neque enim operam adhibent extinguendis consuetudinibus pravis, neque virtutum

habitibus per actus uniuscuiusque proprios comparandis; sed passiones suas ictu unico, veluti gigantis Philistaei caput, se praesecuisse confidunt.

Persuasio haec damna affert plurima, fructum nullum. Namque imprimis, vis illa, quam sibi inferre student, sanitati corporis maximopere obest; sanitas autem laesa, praesertim in principio, obstaculum perfectioni parit permagnum, timore enim et tristitia animam replet; atque eo tempore, quo rigidius cruciabiliusque corpus tractandum foret, indulgentius valetudinis causa hostis ille habendus est. Deinde, notum est diaboli stratagema, fervorem inspirantis heteroclitum, ut rigor nimius degeneret in laxitatem. «Ipsi experti estis, inquit Bernardus ad suos [1], quomodo quidam, (ad verecundiam vestram dico), qui ante inhiberi non poterant, (ita spiritu vehementi ad omnia ferebantur), post ad tantam ignaviam pervenerint, ut secundum illud Apostoli, quum spiritu inceperint, nunc carne consummentur.» Fervor nimirum in passionibus domandis immoderatus, morbos corporis procreat, morbi vero indulgentiam et delicias. Praeterea, virtutes illae, quae per hanc violentiam praecipitem generantur, non sunt istiusmodi, ut occurrente peccati occasione fidere illis liceat. Sicut enim lapis, per vim detentus in aere, laxato obice, non minori impetu deorsum cadit, atque si detentus non fuisset; ita passiones, quae consuetudine contraria non corriguntur, sed violente supprimuntur, cessante violentia, vivae adeo integraeque sunt, quam principio fuerant. Atqui tamen ab hac violentia quandoque cessandum est, quum nullum violentum perpetuum sit. Quando igitur defatigatus animus ab illa vi cessat, post omnia aeque imperfectum se comperit, at-

1 Serm. 33. in Cant. post med.

que si tum primum exordiretur. Aliam insuper machinam hic admovet daemon, gravissimam scilicet diffidentiae tentationem. Sicut enim ad praecelsum montis apicem contendenti, et ingredienti temere viam, quae rectissima brevissimaque apparet, sed obstaculis insuperabilibus obstructa est, mox animus cadit, quando toto nisu impedimentis frustra obnititur; ratusque viam aliam deesse, de ascensu desperans, ad vallem planam revertitur; ita illi, qui fixum habent illico passiones excutere, perfecteque virtutum actus exercere, quos sibi momentanee proposuerunt, experientes, quum ad rem ipsam pervenitur, id vires suas excedere, abiiciunt clypeum, perfectionem arbitrantur impossibilem, et ad viam redeunt ordinariam et communem. Tentatio haec similis est illius, quam de scrupulosis S. Pater commemorat [1]. «Callide,» inquit, «observare solet inimicus, qualisnam sit animae cuiusvis conscientia; crassiorne, an delicatior. Et, si quam invenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, et in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut sic misere turbatam, a profectu spirituali tandem deiiciat. Puta, si animam noverit, quae peccato nulli consentiat, mortali sive veniali; imo ne umbram quidem, ut sic dicamus, voluntarii peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obiicere, eo satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod revera non est. Cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatiuncula repentina.» Quorsum hoc? Nisi ut conscientiam reddat adeo delicatam, ut tandem disrumpatur; dumque anima experitur in potestate sua non esse vitare illa, quae censet esse peccata, et tamen non sunt, in ea prolabatur, quibus verissime peccat. Viam adver-

1 Reg. 4. de scrupulis.

sarius noster contrariam tenet cum his, qui conscientiae laxioris sunt, ut ibidem docet S. Pater «Crassam e diverso animam, seu conscientiam reddere crassiorem studet, ut quae negligebat prius venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minus respiciat.» Inimici igitur astutia haec est, studet unumquemque in partem illam impellere, ad quam deprehendit propensiorem, ut illam in extremum deducat. Hoc ipsum stratagema daemon etiam adhibet in hac propositi materia, quam versamus; etenim, si animam nanciscitur praefervidam, et quae impense desideret passiones subdere rationi, pravasque consuetudines eradicare, huic currenti superaddit calcaria, instigatque ut unius horae compendio negotium hoc omne conficere satagat; contra vero, si in animam incidat languidam, et diffidentem, auget similiter hunc affectum, et efficere tentat, ut totius anni curriculo nihil boni proponat. Fixum igitur sit, quod S. Pater subdit regula sequenti: «Vt anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere. Vt si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem; aut relaxet contra, si daemon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremae utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto et securo statu iugiter manere.» Transeunter hoc loco meretur observationem aliquam eximia S. Patris prudentia, quae innuitur in hac regula. Illis enim, qui in teporem inclinant, intrepide consulendum est, ut fervorem sectentur, et strictiorem reddant conscientiam; etsi enim fervoris nimii extremum cavendum sit, non apparet tamen periculum, ne in extremum hoc se coniiciant, qui tepore acediaque laborant. Non eadem aliorum est ratio, qui restrictione nimia auferuntur, quibus consulendum

non est, ut conscientiae tepidae crassaeque libere sese dedant, (periculosae plenum opus aleae foret hoc, in hac naturae depravatione); sed ut «vitato extremo» statum medium amplectantur, in quo secure conquiescant. Textus quidem latinus iam allegatus, relaxationem his aliquam suadendam docet, sed talem, ut reducantur ad medium, non vero ut impellantur ad laxitatem. Clarius id apparet ex textu hispanico, qui authenticus est, et ad verbum sic habet; «Si inimicus laxiorem conscientiam facere adnititur, faciat illa sibi strictiorem; si inimicus conetur illam facere strictiorem, ut illam pertrahat in extremum, procuret anima se firmare in medio, ut ex toto acquiescat.» Quis porro status est medius? Hic videlicet, proponere cum fervore, et strenue resistere vitio, quod in praesentiarum oppugnamus. Supponitur enim, et certamen hoc diuturnum esse, quoniam pacem integram sola mors confert; et in luctamine adeo pertinaci non defutura quandoque vulnera, quibus per poenitentiam medendum erit; praeliumque renovandum fore identidem per proposita iterata, adversus adversarium, qui nos deiecit. Hic itaque modus est debellandi habitus vitiosos, supprimendique inclinationes pravas; non suffocando illa simultanee, quod fieri nequit, sed sensim illas imminuendo, harum assultus tolerando cum patientia, et cum fervore illarum impetus retundendo.

Alterum, ex adversa parte extremum est eorum, qui numquam certi aliquid determinatique proponunt, verum intra devotiones consolationesque aliquas internas, quasdamque sui afflictiones sive poenitentias externas, totius profectus spiritualis fines coarctant, et de caetero inclinationum suarum ductui, consuetudinumque torrenti se committunt. Non est quod animae istiusmodi virtutes ullas veras et solidas, cordisque libertatem

umquam assequi sperent. Neque enim libertas ista, supposito miserabili naturae corruptae statu, absque violentia et certamine adquiri potest. Vbi autem vis et certamen declinari nequit, ibi necessario propositum postulatur. Neque enim aliud est propositum, ut supra dicebamus, quam obfirmatio voluntatis ad rem difficilem superandam, quae naturae propensioni repugnat. Sicut igitur victum se fatetur, qui clypeum abiicit, et inimico tergum obvertit, ita etiam is, qui propositum suum deserit; nam victi instar, hosti suo spirituali ansam praebet, ut totas exerat vires, et victoriam referat. Resistit enim vitiis, qui adversus illa proponit, namque a proposito pugna haec exordium ducit. Ille igitur, qui non proponit, quem licet nominare hominem absque proposito, itemque is qui in proposito suo non perstat, absque repugnantia adversariis suis se committit. Recte enim a Kempis [1], «initium omnium malarum tentationum, inconstantia animi.» Tentationem malam appellat, quae vincit animam, et a nobis obtinet id, quod vult; tentatio enim, quae id non assequitur, sed cui animus noster resistit, non est mala, sed bona homini, de inimico suo victoriam referenti. Principium vero cladis ex parte nostra, et victoriae ex parte tentationis, «inconstantia animi» est, sive propositi violatio. Quod egregia similitudine auctor idem declarat. «Quia [2], inquit, sicut navis sine gubernaculo, hinc inde a fluctibus impellitur, ita homo remissus, et propositum suum deserens, varie tentatur.» Non poterat comparatione magis apposita describi animus tentatione pulsatus; fluctus enim maris ferocissimi sunt, qui «ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad

1 Lib. I, cap. XIII, n. 5.
2 Ibid.

abyssos [1].» Spes naufragii evitandi, in gubernaculo est; nam, ut inquit Iacobus [2], «Naves quum magnae sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit.» Hoc instrumento rector navim dirigit, fluctus secat, ventis resistit, superatque undas tumultuantes. Quod autem navi gubernaculum in tempestate, hoc homini confert propositum in tentatione; per propositum enim, dummodo illius tenax sit, se firmat, actiones dirigit, seque defendit adversus fluctus tentationum, quibus contra propositum suum pulsatur. Si gubernaculum navem destituat, naufragium ineluctabile est; deficiente proposito, anima tentationi succumbit. Quidquid toto hoc capite tradimus, hac similitudine illustratur, unaque aperitur ratio adversum vitia nostra depraeliandi. Proponendum esse scilicet, et proponendum constanter; neque pugnam ut pugnatam habendam esse, posteaquam iam proposuimus, atque si passiones illico domitae, consuetudinesque subactae forent. Quemadmodum enim neque gubernaculum, neque peritia naucleri, neque studium turbae nauticae per foros cursitantis, praestare potest, ne assidue agitetur navigium, atque nauteam bibat; quemadmodum in procelloso mari navis nescit quiescere, neque etiam in malacia navarchus sperare ausit, ut absque omni stomachi fastidio navigantes iter instituant; et necesse est in acum lydio lapide tactam constanter oculos habere intentos, manumque gubernaculo semper applicitam, praesertim ventis ferocientibus, si post labores desideratus portus speretur; sic eadem omnia et singula navigationi spirituali interveniunt. Etsi enim propositum solidum verissime

1 Psal. cvi, 26.
2 Iacob. iii, 4.

spiritus nostri gubernaculum sit, cuius adminiculo, aspirante gratia Dei, feliciter virtutis portum tenebimus; non tranquillat tamen hoc propositum passionum ferociam, neque efficit quominus, per fragilitatem et incuriam nostram, aqua vitiorum et hinc et inde navem penetret, qua compellimur propositum identidem renovare, navemque nostram per poenitentiae antliam exonerare.

Rem eamdem, quam hoc capite pertractamus, confirmare licet ex fluminibus maioribus, quando ex oceano refluunt. Nisi enim illorum aquas intra ripas suas solerter contineas; et laetas segetes, spem messis, et pecora, cum armentis, et silvas, et homines, et civitates totas, et quidquid obviam venit, miserrime destruent, lateque omnia inundabunt. Hoc ipsum damnum passiones hominis inferunt, quum non resistitur. Porro, quod illorum impetui violentiaeque resistit, est propositum affectus contrarii; per hoc enim, veluti per aggerem oppositum, vis illarum reprimitur, et fraenatur. Et quemadmodum viribus suis non privantur flumina, quibus resistitur; sed pertinaciter eos oppugnant, qui machinis ripisque obiectis voracitatem suam impediunt, alveumque aquarum coarctant; neque a conservandis roborandisque repagulis desistendum est, donec fracta sit undarum verberantium vis, illaeque intra sinum suum secure contineantur: eadem ratione passiones nostrae constringendae sunt, quarum pertinacia longe maxima est, neque proposito uno vinci potest, sed propositis aliis atque aliis opus est, donec a vetito voluntas nostra abstineat, atque intra virtutum margines conquiescat.

Liquet igitur, a proposito nos ordiri bellum adversus vitia; neque tamen per propositum vitiis vires adimi, quominus etiam ipsa bellum nobis moveant, et adver-

sus hoc propositum reluctentur. In hoc ergo certamine, quod utrimque committitur, sic existimare oportet, neque per propositum nos exemptos esse a vulnere, neque cadendum animo, quum ab hoste ferimur, sed ardentius etiam proponendum esse. Hoc utrumque monet a Kempis. De primo quidem sic ait [1]: «Conemur quantum possumus, adhuc leviter deficiemus in multis.» De secundo [2]: «Si fortiter proponens saepe deficit, quid ille qui raro, aut minus fixe, aliquid proponit.»

CAPVT IV

DE PROPRIETATIBVS, QVAS REQVIRIT BONVM PROPOSITVM

Propositum bonum, ut fructiferum sit, requirit 1. Materiam determinatam. 2. Discretionem, ut ad effectum deduci possit. 3. Firmitatem, ut non facile dissipetur. 4. Humilitatem, ut ne viribus propriis nitatur. 5. Incrementum quotidianum, ut ad perfectionis culmen contendat.

Primo igitur, propositis generalibus acquiescendum non est, quale est propositum servandi mandata, prosequendi status nostri perfectionem etc. Sed ut recte monet a Kempis [3], «semper aliquid certi proponendum est.» Id autem tale sit, quod intellectu probe assequimur; deinde animum reflectendo, an quod proposuimus reipsa compleamus, adiecto etiam examine, an compleverimus. Quum enim actiones humanae omnes circa res determinatas et singulares versentur; proposita, quae non determinantur, nullam habent exequu-

1 Lib. I, cap. XIX, n. 3.
2 Ibid. n. 2.
3 Ibid. n. 3.

tionem, nisi ad rem particularem restricta sint. Hinc Apostolus ait [1]: «Ego sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans:» aerem verberat scilicet, atque in incertum currit, qui indeterminate generatimque proponit.

Dein, propositum esse debet discretum, sive viribus praesentibus proportionatum, tam corporis, quam spiritus. «Altiora te ne quaesieris [2],» monet Spiritus sanctus. Sicut enim peregrinaturus in regionem remotam, ante omnia sibi terram obiicit, quam consequi intendit; deinde viam certam et determinatam designat, qua a principio ad terminum transeundum sit; et quum iter ingreditur, discretionem atque prudentiam adhibet, ne praecipitatione nimia defatigationem noxiam incurrat, aut lentitudine sua vix quidquam promoveat, et quotidie in stadia et leucas spatium dividit; ita prorsus usuvenit in hoc negotio, quod prae manibus est. Posteaquam enim actiones, quas emendandas suscipimus, particulatim determinatae sunt, atque in primis illae, a quibus exordiendum est; necessarium est discretionem adsciscere, et totius viae curriculum difficultatesque occurrentes in partes dividere; remque occipere a difficultate quadam minori, quae ad manum est, et magis proportionatur dispositioni nostrae praesenti. De quo plura, ubi ad examinis huius materiam perventum erit; ubi causas etiam detegemus, cur certamen cum vitio singulari, et cuiuscumque virtutis consectatio, divisionem in partes postulet. Etsi enim in divino auxilio spes omnis figenda sit, et omnipotentia Dei difficilia quaelibet a fine ad finem fortiter celeriterque perducere possit, eiusdem tamen providentia suaviter omnia disponit.

1 1 Cor. IX, 26.
2 Eccli. III, 22.

Proposito, quod certum determinatumque sit, discretum etiam viribusque nostris proportionatum, addenda insuper proprietas tertia, nimirum ut sit firmum, neque leviter immutetur. Firmitudo haec duo tempora respicit, et quum proponimus, et quum exequimur rem propositam. Quaedam enim proposita iam inde ab ortu suo tam languide prodeunt, ut liquide appareat durabilia non fore, sed virtute destitui, qua tentationi occurrenti resistere valeant. Attendat unusquisque, qua ratione passim homines proponant augere redditus, illorumque damnum avertere: atque ad hunc modum statuant imminuere vitia, et augere virtutes. Huc facit monitum Sapientis [1]: «Si sapientiam invocaveris,» inquit, «et inclinaveris cor tuum prudentiae; si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis eam; tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies.» Sollicitudine, qua pecunia quaeritur, et labore, quo thesauri ex terrae visceribus effodiuntur, hic quadantenus opus est, ut has spirituales opes adquiras. Proposita flaccida, dormiturientium proposita sunt, et illorum instar quae sibi fabricat piger, qui de lectulo deserendo secum agens nihil agit, sed in latus alterum molliter se obvertit. De quo Spiritus sanctus [2]: «Vsquequo piger dormies? Quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias.» Quemadmodum voluntas in lectulo pigritantis talis est, ut non serio velit id, quod velle videtur, ita haec proposita non transeunt in opus. Posteaquam enim plurima, et quandoque etiam praeclara proposuit, in egestate miserabili consenescit. Firma igitur sint, plenaque animis, quae proponis;

1 Prov. II, 3.
2 Ibid. VI, 10.

viva sint, et fervore magno concepta, quando illa instituis.

Sed et firmitas eadem in propositis exequutionis tempore postulatur. Defectus ex hac parte duplicem habere potest originem, vel infirmitatem iudicii, vel voluntatis languorem. Iudicii infirmitatem appello, quando nullis occurrentibus motivis novis, iisdemque sufficientibus, retractatur id, quod propositum fuerat, de quo fusius scripsi Viae spiritualis P. I. lib. II. cap. 31. Hunc defectum reprobat S. P. Ignatius, quum ait [1]: «Quod si quis debito modo et ordine, absque carnali mundanoque affectu,» non ex motivo aliquo carnali vel mundano, «quidpiam elegit, quod mutari possit, non est quod violet electionem talem; sed potius, ut in ea magis ac magis proficiat, adniti debet.» Oritur praeterea haec ipsa infirmitas a languore voluntatis, quando propositum quidem perstat adhuc, sed tempore exequutionis frangitur, animusque ad difficultatis conspectum labascit. De his haud immerito scribit Salomon [2]: «Vult et non vult piger.» Vult quum proponit, non vult quando propositi difficultatem persentit; vult quum nihil agendum est, non vult quando manus operi applicanda; vult quum pulchritudinem virtutis praemiumque perpendit, non vult quando sentit florem illum spinis circumdari. Vnde fit, ut eodem Salomone teste, in ventum abeant, quaecumque proposuit [3]. «Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir gloriosus, et promissa sua non complens.» Piger merito nuncupatur, inquit Beda, qui desiderat regnare cum Christo, et non desiderat certare cum Christo; quem delectant praemia, quando

1 Introduct. ad eligendarum rerum notitiam puncto 4.
2 Prov. XIII, 4.
3 Ibid. XXV, 14.

promittuntur, sed non delectant praelia, quando imperantur. De viris istiusmodi sic Iacobus [1]. «Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.» Et Ecclesiasticus [2]: «Vae duplici corde..... et peccatori terram ingredienti duabus viis.» Vias etenim duas ille ingreditur; viam perfectionis, quam proponit, et viam concupiscentiarum, quam reipsa graditur; viam primam init per desiderium et voluntatem: viam alteram per opus et exequutionem. Duae animae videntur hominem illum incolere, certe duas intentiones habet; per alteram inclinat in perfectum, per alteram in imperfectum et malum; dumque satisfacere studet utrique, neutri satisfacit.

Infirmitate hac laboranti remedium unicum est, viarum suarum finem scopumque perpendere, neque difficultate terreri, quia [3] «Arcta via est, quae ducit ad vitam.» De via illa altera dicitur [4]: «Est via, quae videtur homini recta, et novissima eius ducunt ad mortem.» Dei iudicis rigor pigritanti subdit calcaria, ut de se fatetur Propheta [5]: «Memor fui iudiciorum tuorum a saeculo, Domine, et consolatus sum.» In quem locum Ambrosius: «Nisi unusquisque legis instructus et formatus exemplis, credat semper vera esse Dei iudicia, cito declinat a lege.» Iudicia Dei iam inde a principio mundi exercita, neminem latent, exercenda in fine hominis palam fient. In hac memoria «consolatus sum,» inquit Propheta, id est, ut Augustinus intelligit super hunc psalmum, incitatus atque exstimulatus sum; haec enim memoria, viva exhortatio est ad perrumpendas

1 Iac. I, 8.
2 Eccli. II, 14.
3 Matth. VII, 14.
4 Prov. XVI, 25.
5 Psal. CXVIII, 52.

difficultates quascumque. Concludamus igitur, et proponendum esse firmiter, et fortiter exequendum, ad exemplum eius qui ait [1]: «Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae,» per iuramentum declarans propositi firmitatem, ut interpretatur Augustinus. «Hoc enim, inquit, appellavit iuramentum, quod statuit per Sacramentum; quia ita debet esse mens fixa in custodiendis iudiciis iustitiae Dei, ut sit omnino pro iuratione, quod statuit.»

CAPVT V

DE DVABVS ALIIS PROPOSITI BONI PROPRIETATIBVS

Requiritur quarto, ut propositum humile sit, quae proprietas non parum conducit ad firmitatem. Sicut enim aedificii soliditas omnis fundamento innititur, ita firmitas propositi humilitate stabilitur, quae virtutum omnium fundamentum est. Per diffidentiam et timorem, saepenumero infringitur, quod proponimus. Impedimentum hoc utrumque inde nascitur, quod difficultatum perruptionem propriis, non vero Dei viribus, eiusque gratiae auxilio, metiamur. Divino auxilio assistente, quid proponere possumus, quod non etiam exsequi valeamus? «Iustorum propositum, inquit a Kempis [2], in gratia Dei potius, quam in propria sapientia pendet, in quo et semper confidunt, quidquid accipiunt. Nam homo proponit, sed Deus disponit, nec est in homine via eius.» Propositi humilis indicium est, si ab oratione, meditatione, lectione librorum spiritualium, interpellatione Sanctorum, afflictionibus poenitentiisque tempo-

1 Psal. CXVIII, 106.
2 Lib. I, cap, XIX, n. 2.

ralibus, aliisque similibus, subsidium petatur; quoniam haec plurimum conferunt ad divinum auxilium impetrandum, utpote animi humilis signa [1]. «Deus» autem, qui, «superbis resistit, humilibus dat gratiam;» etenim, qui inaniter viribus suis innituntur, damno suo experiuntur id, quod de seipso narrat Propheta [2]. «Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum..... Avertisti manum tuam a me, et factus sum conturbatus.»

Neque propositum, quia humile, propterea ignavum, parvique animi est; sed ad quaecumque ardua extenditur, quae, auxiliante Deo, perrumpere intendit. Etsi enim probe noverit anima, dicatque cum Apostolo [3]: «Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum,» confidit tamen, quia qui dedit velle, daturus est et perficere. Atque adeo cum eodem Apostolo dicit [4]: «Quae retro sunt obliviscens, ad ea, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei.» Fixum igitur firmatumque sit profectum suum desiderantibus, humilitate se armare, et seipsos quotidie ad proposita perfectiora excitare; quae propositi boni et solidi ultima proprietas est, et perfectionem consectantibus necessaria. Quia [5], «Secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri,» ut ille verissime ait.

Magnam in hoc genere varietatem et differentiam reperire est inter eos, qui virtutem sectantur. Alii enim fortitudine heroica ad perfectissimum enituntur, quantoque magis procedunt, tanto viam detegunt ampliorem,

1 Iac. IV, 6.
2 Psal. XXIX, 7.
3 Rom. VII, 18.
4 Philip. III, 13.
5 A Kempis lib. I, cap. XIX, n. 2.

quam conficiant; alii non aliud intendunt, quam, ut ait S. Ignatius [1] «ad gradum aliquem deduci, in quo animus suus conquiescat.» Id vero aliud non est, quam vivere vitam communem et ordinariam, sed absque conscientiae remorsu, et propterea cum spe salutis. Alii nequidem ad hoc adspirant; testes enim sibi ipsis sunt culparum reconditarum, virique probi nomen et famam sectantur, qua acquiescunt, declinantes ea sollicite, quae aliorum oculis offendiculo esse possent. In generibus hisce singulis gradus plures, differentiasque varias reperire est; sed in gradibus omnibus fixum manet axioma praefatum, «secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri.» Qui sublimia proponit, in divina gratia plurimum proficit; et qui paupertate sua acquiescit, remanet pauper. Totum hoc negotium, a conversionis principio usque ad finem, ex propositis vel magis vel minus perfectis conflatur. Qui igitur profectum suum appetit, proposita sua contendat propellere, et ad viam excellentiorem extendere.

Vt complectamur paucis, quae de propositis perficiendis hactenus dicta sunt, hos qui noviter iustitiae viam ingrediuntur, rogo et obsecro, ut ad mandata et iustificationes Domini adimplendas magni constantisque animi proposito se accingant, et (absque voto aut iuramento) cum Propheta dicere possint: «Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae.» Inchoantes autem, et purgandis defectibus occupati, proponant castigare carnem, affectusque rebelles domare, ut dominetur appetitibus ratio, diesque elucescat, et oriatur lucifer divinus in cordibus nostris, qui deliciis corporis sensuumque illecebris obnubilatur, et ut plurimum suffocatur. Danielem vide, qui [2] «proposuit in corde suo, ne

1 Adnot. 18.
2 Daniel. 1, 8.

pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius.» Etsi enim illi rex constituisset annonam de cibis suis, et de potu unde bibebat, ille tamen ita cum praeposito eunuchorum rem confecit, ut, quemadmodum constituerat in corde suo, praeter aquam et legumina nutrimentum nullum admitteret. Sic etiam Salomon, quum virtuti se daret [1], «Cogitavi,» inquit, «in corde meo,» hoc est, proposui, «abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum.» Qui proficiunt, proponant luci coelesti divinisque inspirationibus obsequi, ut in omnibus probent [2], «Quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta,» atque secundum lucem illam actiones instituant. Iuxta illud eiusdem [3]: «Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.» Perfecti autem, hoc enim nomine veniunt, qui rebus creatis omnibus nuntium remiserunt, seque levarunt supra se, ut Deo uniantur, illoque unice fruantur, dicant cum Propheta [4]: «Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?» Namque animus a creaturis divisus, per orationem et contemplationem Creatori suo unitur. Vnde statim subdit Propheta: «Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam,» id est, in Domino unico et solo. Quoniam vero amor sincerus operibus probatur, ex amore isto opera profluunt, non privata dumtaxat, verum etiam publica; atque adeo propositorum suorum tenax anima, et illorum fructibus satura, impellitur ut omni populo magnalia Dei communicet. Postquam enim David affirma-

1 Eccle. II, 3.
2 Rom. XII, 2.
3 Sap. VII, 10.
4 Psal. LXXII, 25.

verat, se Deo adhaerere, et in uno Domino spem suam ponere, sic pergit: «Vt annuntiem omnes praedicationes tuas,» id est, excellentias divinas, «in portis filiae Sion.» Hi summatim sunt gradus, per quos progrediendum est in propositis nostris; intentionem quamlibet concomitantur opera cuilibet gradui respondentia, donec perfectionis verticem teneamus. Atque haec sufficiant de parte prima examinis particularis, sive de proposito matutino. Ad secundam partem transeamus, sive curam per diem de proposito matutino adimplendo.

CAPVT VI

DE CVRA PER DIEM, VT PROPOSITVM MATVTINVM EXEQVVTIONI MANDETVR

Partem alteram, sive punctum secundum examinis huius ingredimur, hoc est, finem eius primarium; ut nimirum proposita tempore matutino, sive de vitiis eradicandis, sive de virtutibus inserendis concepta, re ipsa praestentur, et quidem de vitio aut virtute singulari concepta, ut vim habeant maiorem. Frustra enim proponitur, quod ipso opere non impletur; in vanum laborat, qui voluntate sola placare Deum contendit; et seipsum decipit, qui neglecto fructu operum, boni desiderii floribus acquiescit. Homo ille, qui plantaverat arborem fici in vinea sua, non venit quaesiturus flores, sed fructus; quumque fructum non inveniret post annos tres, de illa succidenda sententiam tulit, inquiens: «Vt quid etiam terram occupat?» Neque tamen hinc colligas, flocci faciendos esse bonorum operum flores, sollicite profecto illi procurandi, atque aestimandi sunt plurimum. Non tantum ob pulchritudinem internam, qua recreant; neque ob odorem bonum dumtaxat, quo

confortant, quae propositorum bonorum effecta sunt, eo ipso quod generentur ; sed longe maxime ob spem fructuum saporis optimi, per opera sperata referendorum, quae in propositis illis, velut in germine, includuntur. Arbores vere primo gemmantes mox videas floribus luxuriare ; quorum tamen plurimi, ventorum, imbrium, frigorisve iniuriis, spem coloni deinde irritam reddunt. Sic etiam spiritus frondescens flores uberes promit, et afflante divinae gratiae zephyro, desideriis bonis turget abundanter, quorum tamen desideriorum, sive propositorum pars longe minor ad perfectionem operum promissorum maturescit. Flores ergo desideriorum luxuriose proveniant, ut operum inde pullulantium non sit egestas. At qui primo mane divinarum inspirationum rorem sollicite colligit, et in propositis dives est, eunte die cautius incedat, floresque suos matutinos ad fructum operum educere satagat. Cautela haec particularis examinis officium praecipuum est, ne nobis illud quadret [1]: «Mane floreat, et transeat; vesperi decidat, induret, et arescat.»

Propositorum matutinorum interitus, et tam frequens in ortu ipso occasus, ad causas duas referri potest. Vel ad materiam, ratione difficultatis, quae in exequutione ipsa occurrere solet varia, sive maior ex rei arduitate, sive ex eiusdem facilitate minor, atque huic impedimento fervor noster resistit; vel referri potest ad hominem ipsum qui proponit, quando scilicet propositi sui per incuriam obliviscitur, unde fit, ut etiam inadvertenter, ducente consuetudine naturaeque propensione, a proposito abducatur; atque huic obstaculo resistit sollicitudo nostra. De cautela utraque monet, qui ait [2]: «Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes.» Ad

1 Psal. LXXXIX, 6.
2 Rom. XII, 11.

sollicitudinem attinet, matutini propositi non oblivisci; ad fervorem, cum strenuitate propositum exequi. Ad sollicitudinem, declinare occasiones vitii corrigendi; ad fervorem, in occasione ipsa, quando vitari nequit, immaculatum se custodire. Ad sollicitudinem, familiares sibi reddere considerationes illas, quae virtuti intentae subserviunt; ad fervorem, hisce adminiculis voluntatem roborare. Sicut enim aqua bulliens, gravitate nequidquam adversante, salit in altum, muscasque appropinquantes fugat; ita spiritus, contra propensionum suarum pondus, desideriis ferventibus sursum fertur, suggestionesque sibi inimicas haud difficulter amandat. Sed ut hoc consequamur, necesse est ut ignis ille internus non iam primum ardere incipiat, verum ardere consueverit, et sollicitudo considerationes ad id appositas ceu ligna subiiciat, follisque meditationis focum sufflet, ut intellectu illustrato incendatur voluntas, ferventerque operetur. Fugatis in hunc modum incuria et tepore, sollicitus fervidusque redditur spiritus, qui nisi sollicitudinem et fervorem comites habeat, vix quidquam promovebit per hoc examen. Quamquam re probe inspecta, adiumentum hoc utrumque reducitur denique ad principium unicum, videlicet, propositum matutinum, non languidum illud quidem, aut imbecillum; sed vivum, sed efficax, sed fervens, sed productum a desiderio sincero superandi vitium, quod impetimus, virtutemque assequendi, sociante fame insatiabili augendae divinae gloriae, et in omnibus voluntatem eius implendi. Haec doctrinae S. Basilii consentanea sunt, qui in Regulis brevioribus quaerit, quis sit spiritu fervens [1]? et respondet: «Qui cum ardenti studio, et inexplebili cupiditate, et assidua diligentia, voluntа-

1 Interrog. 259.

tem Dei facit in charitate Christi Iesu Domini nostri, convenienter illi, quod scriptum est, «In mandatis eius volet nimis.» Sic ille. Enimvero, ardor iste appetitusque iustitiae sufficienter se solo excitat, exstimulatque animam, ut ad propositi matutini exequutionem per diei decursum, nihil diligentiae omittamus.

Ad fervoris perseverantiam S. P. Ignatius tria documenta, veluti totidem fulcra, eaque peraccommoda et efficacia, subministrat. Primum est, proponere pro spatio breviori, quale est, a mane ad meridiem, et a meridie ad noctem. Alterum, proponere frequenter, sive propositum identidem renovare. Tertium, non abiicere animum, quum cecidimus, neque propterea ab incepto desistere; verum ex vulneribus ipsis animos sumere, et propositis ardentioribus duellum repetere. His adminiculis, quibus oratio indefessa fervidaque coniungenda est, spem indubitatam facit victoriae denique reportandae.

Primo igitur, ut potentiae imaginativae molestias pusillanimitatemque pellamus, conducit plurimum, certaminis tempus arctare, et propositum restringere ad spatium breve. Peregrinantibus in regionem longinquam haec eadem industria familiaris est, quos longioris viae taedia levare iuvat, dividendo laborem longum in partes non longas, et non praefigendo sibi nisi hoc spatium, quod oculis metiuntur; atque ita fatigationem strenue superant, metamque longissime distantem contingunt. Plutarchus ipse, philosophus gentilis, memorat remedio istiusmodi vitiorum suorum affectiones fraenasse se, atque iram in primis. Hoc anno, inquiebat sibi, temperabo a vino; hoc mense cavebo mendacium, etiam iocosum; mense isto patientiae operam dabo, neque verbum proferam iracundum. Hac ratione asserit se plurimum lucri fecisse. Angustiora spatia ad hoc

ipsum designat S. Pater, medicando vitio singulari discussionem geminam dietim praescribens, pomeridianam et vespertinam; atque adeo propositum matutinum ad meridiem solummodo protendens, alterumque propositum non nisi ad vesperam. Ait enim: «Quibus peractis, denuo proponat per spatium diei reliquum se cohibere.»

Duo sunt, quae postulantur, ad praxim huius industriae; alterum est, oblivisci praeterita, alterum non figere obtutum in futura, reputando secum, luctam istam mane incipere, meridie terminandam; quaeque die medio inchoatur, cum die finitum iri. Vt igitur sibi persuadeat, se illo ipso die pugnam ordiri, necesse est memoriam avertere a praeteritis; utque diem medium pugnae terminum statuat, claudendi sunt mentis oculi ad futura. Sollicitudo enim diei dimidiati, etsi per se brevissima sit, coniuncta tamen cum curis praeteritis et futuris, redderet onus admodum grave. Renovet ergo se quisque quotidie, et penes se constituat, hunc esse primum exercitii huius ingressum, primumque cum hoc hoste spirituali congressum. Verissime enim S. Gregorius [1]: «A fervore mentis.... ipso aliquo modo vivendi veterascimus. Sicut enim vestis usu ipso atteritur, ita ut quandoque vestimento opus sit novo, ita etiam inveterascit propositum et fervor, viresque perdit nisi innovetur. Tunc vero innovatur, quando quae retro sunt obliviscens, ad ea, quae priora sunt, extendit seipsum, eodem prorsus modo atque si nihil hactenus actum fuisset.» Ac propterea teste eodem [2]: «Justi in novitate vitae perseverant, qui quotidie incipiunt.» Et alibi iterum [3]: «Nescit enim mens per torporem veterascere,

1 XIX Moral. 27.
2 Ibid.
3 XXII Moral. 4.

quae studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: «Renovamini spiritu mentis vestrae.» Hinc Psalmista, qui ad perfectionis culmen iam pervenerat, quasi inchoans dicebat. «Dixi, nunc coepi.» Quia videlicet, si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus.» Haec Gregorius. Eodem spiritu scribit a Kempis [1]. «Debemus, ubicumque fuerimus, tamquam Angeli, in conspectu eius mundi incedere. Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere: Adiuva me, Domine Deus, in bono proposito, et sancto servitio tuo; et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.» Ita ille. Ad sui renovationem, et remotionem taedii, quod a tempore praeterito nasci potest, cogitatio ista perefficax est. Vt autem fastidia removeamus, quae temporis venturi diuturnitas procreare potest, sicut imaginamur hunc esse propositi diem primum, ita pariter cogitemus posse esse postremum; atque hoc modo propositum tanto efficacius redditur, quanto spatiis brevioribus continetur. Hoc ipsum adnotavit a Kempis, quum ait [2]: «De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de saeculo migraturi, et ad aeternum festum perventuri.» Si quaeras, qui fieri possit, ut ad diem dimidiatum haec proposita restringamus, quae per vitam omnem novimus perpetranda esse, responsio facilis est, non liquere tibi, an ante hanc meridiem aut noctem, lux vitae tuae occasura non sit. Felix, qui quotidie sic decertat, veluti certamini suo iam iam coronidem impositurus; beatus, quem vitae occasus invenit hac ra-

1 Lib. I, c. XIX, n. 1.
2 Ibid. n. 6.

tione depraeliantem. Quod si longius vita protrahitur, quid conducibilius, obsecro, ad illam rectissime traducendam, quam esse sedulum et attentum, ut hodie bona sit, spemque incertam de mensibus et annis futuris seponere? Invenias, quibus animus fervet, ut ad diem unum decertent, sed quos vigor ille deserit, si cras iterum similiter decertandum sit; et quandoque vulneri locum hodie praebent, quia crastinam cladem prospiciunt. Quasi vero adversarius, quem hodie generose impugnant, non sit cras futurus debilior; et auxilium gratiae, quo hodie recte utitur, cras defuturum sit. Quem mihi dabis, qui panem hodie oblatum repudiet, quia metuit, ne die crastina panis deficiat; quis negliget hodie veste indui, quam habet, propterea quod ignoret, an deinde alteram nacturus sit? Millena sunt huiuscemodi, quae ignaviam istam condemnant [1]. «Nolite solliciti esse in crastinum,» inquit Christus, crastinus enim forte non erit; quod si veniat, «Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua,» sufficit diei labor suus. Si diem hodiernum labore crastino oneras, vide, ne sub onere succumbas. Quod si Christus eodem loco prohibet, de cibis, de vestimentis, de necessitatibus vitae huius sollicitos esse, quae regnum Dei quaerentibus coelestis Pater non patietur deesse; quanto magis idem Pater sollicitus erit, ne deinde vitae spiritualis subsidia desint, serio hodie regnum illud quaerenti? Nam si pater terrenus filio, panem corporalem poscenti, hunc prompte porrigit [2], «Quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum patentibus se?» Liquet igitur, etsi certaminis huius propositum quotidie innovandum sit, ita tamen praelium hodie

1 Matth. VI, 34.
2 Luc. XI, 13.

instituendum esse, atque si bellum iam incipiat, et post meridiem hanc, aut noctem, nihil restet agendum. Quum sit adeo angustum pugnae spatium, quis adeo ignavus futurus est, ut taedia tantilla non devoret, decertetque viriliter?

Propositum, hac ratione conceptum, videri potest defectu unico laborare, quod nimirum, quum ad tantulum tempus restringitur, pro tempore futuro nullas habeat vires. Hunc defectum, si quis est, supplent multiplices propositi eiusdem repetitiones. Exigit enim S. Pater ut proponamus mane, statim ut a somno surreximus, usque in meridiem, meridie iterum in spatium reliquum diei. Non praescribit autem, ut in examine vespertino superaddamus propositum novum; vel quia nos remittit ad punctum quintum examinis generalis, supponendo ut certum, quod sicut omne examen defectuum in dolore de illis, ita etiam in emendationis proposito terminandum sit; vel, quia non apparet tunc tanta propositi innovandi necessitas, quando immediate somnus huic examini subditur, adeoque ad tempus, quo excitamur, differri possit. Sicut enim daemon in hoc bello damnum non dormientibus, sed solis vigilantibus, inferre potest; ita in hac arena militi strenuo idem esse debet, expergisci a somno, et proposito novo se armare; per diei vero decursum nullatenus tergiversandum est, sed unius propositi finis, alterius principium esse debet, et fervidioris. Imo plus etiam postulat S. Pater, ut nimirum quoties per diem a proposito defecerimus, toties illud ipsum renovemus, applicando ad hunc finem pectori manum, et dolendo de culpa; hoc enim docet Additio, quae prima est. «Prima est, ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota doleat de lapsu; quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus.» Nulla quidem

virtus huic signo externo attribuitur, atque si manus ad hunc modum mota conferret aliquid ad vitii vitiatacque consuetudinis correctionem, (superstitiosum id foret); sed signo hoc externo nosmetipsos adigimus, ut reflectamus ad agnoscendam et reparandam culpam, admonemur de dolore eliciendo, et testamur externe propositi interni renovationem. Actus isti interiores ad defectus commissi emendationem plurimum conferunt; utque actus istos interius eliciamus, signo isto externo adiuvamur haud parum. Statim enim atque in erratum incidimus, signo illo externo, veluti mulcta quadam nos obstringimus ad propositum instaurandum, quae instauratio rationi prorsus consentanea est; tanto enim maior eius incumbit necessitas, quanto maior est infirmitas nostra, lapsuumque frequentia.

Conducit etiam haec sollicitudo, ut ne torpeamus, neque scopum praefixum deseramus, quantumvis, impellente passione aut consuetudine, ab incepto toties detrudamur; neque enim per lapsum animus concidet, si lapsus ipse ansam porrigat propositi confirmandi. Longanimitate quadam hic opus est, atque ut angustos nobis terminos ad proponendum praescribimus, ita hi largissime extendendi sunt ad victoriam plenam. Nam qui ait [1]: «Mane propone, vesperi discute mores tuos,» idem addit [2]: «Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur.» Et alibi [3]: «Paulatim, et per patientiam cum longanimitate, Deo iuvante, melius superabis, quam cum duritia et importunitate propria.» Vnde patet, non eo fine examen hoc meridianum vespertinumque institui, ut vel medii vel

1 A Kempis, lib. I, c. XIX, n. 4.
2 Ibid. c. XI, n. 5.
3 Ibid. c. XIII, n. 4.

unius diei circulo negotium conficiatur; sed quia haec sollicitudo et attentio rem valde promovet, quamquam lucrifeceris plurimum, si intra anni spatium illam perficias.

Vt caput hoc concludamus, audiatur Ioannes Chrysostomus, ubi in particulari materia iuramenti methodum docet, qua consuetudinarios turpissimum hoc vitium extirpare necesse est; et ex una quidem parte sollicitudinem multam quotidianamque desiderat, ex altera longanimitatem et fiduciam, etiam post relapsum. Posteaquam enim populum Antiochenum contra hunc abusum ferventer et diebus pluribus animaverat, sic ait [1]. «Si post haec dicas, quod est difficile, consuetudinem non fallere vehementer quoque attentos, hoc fateor quidem et ego. Verumtamen et illud pariter dico, quod sicut est facile decipi, sic et corrigi. Si enim domi multos ubique custodes constituas, puta servum, uxorem, amicos, ab omnibus facile compulsus atque coactus, a mala recedes consuetudine; et si decem tantum diebus id observaveris, non iam amplius reliquo tempore indigebis, sed cum fiducia totum erit tibi repositum, pulcherrimae consuetudinis firmitate vicissim radicatum. Quum igitur hoc corrigere coeperis, sive semel, sive secundo, sive tertio, sive vigesimo legem transcenderis, ne desperes; sed iterum surge, et studium tuum resume, et omnino victor eris.» Ita Chrysostomus.

1 Ad pop. hom. 28.

CAPVT VII

DE TEMPORIBVS HVIVS EXAMINIS, ET QVATVOR ILLIVS ADDITIONIBVS

Ex supradictis patet, passum primum examinis huius esse desideria propositaque corrigendi defectum singularem; quae, florum instar, rore divinae gratiae irrigata, influxuque coelesti fota, iam inde a tempore matutino in cordis horto germinare incipiunt. Currente die, sollicite curandum esse, ut hisce desideriorum floribus bonorum operum fructus respondeant. Huc facere plurimum, si propositum matutinum saepius integretur, et conatus omnis ad modicum tempus restrictus sit. Neque in hoc exercitio torpescendum esse, ut ut contingat, per fragilitatem et pravos habitus, nos recidere in defectum, quem declinare intendimus. Superest, ut ad imminutionem illorum defectuum quotidianam, exactam horum rationem statis temporibus ineamus, et cum Sponsa [1] «Mane,» hoc est, suo tempore, et diligenter, «surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.» In quem locum ita commentatur S. Gregorius. «Sponsa mane ad vineas surgit.... si floruit vinea conspicit, quia omnem profectum Ecclesiae districto examine perpendit.» Quam Sponsa pro Ecclesia curam gerit, inquirendo an desideria divinitus inspirata speratos fructus referant, haec ipsa erga vineam animae nostrae gerenda est.

Forma huius examinis ad puncta duo reducitur. Punctum primum est, errata discutere, a matutino tempore ad meridianum commissa, illorumque numerum

1 Cant. VII, 12.

adnotare in libello ad id praeparato. Alterum est, defectus matutinos cum vespertinis, similiter notatis, conferre, comparando diem cum die, hebdomadam cum hebdomada, ut observem, an proficiam, an vero retrocedam. Supponit autem S. Pater libellum esse ad manum, qui pro die quavis lineas duas contineat, aut unam geminae supparem, in cuius parte superna tot puncta notentur, quot sunt defectus matutini, in parte altera numerus defectuum a meridie commissorum. Et quoniam aequum est defectus decrescere, idcirco lineas formandas esse sensim minores. Hoc expresse tradit S. Pater, quando post Additiones quatuor, sic inquit: «Notandum est ex sequentibus figuris, primam caeteris longiorem deputari diei primae, puta Dominicae; secundam vero diei Lunae, paulo breviorem, et ita deinceps; quum par sit diminui in dies erratorum numerum.» Atque haec est methodus, quam S. Pater assignat. Aliam tamen adhibere fas est, dummodo finibus supradictis servire possit.

His suppositis, forma huius examinis, et generalis non differt, ut declarat S. Pater his verbis: «Secundum tempus est pomeridianum, in quo petenda a Deo gratia, ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, et in posterum cavere. Deinde, priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato, seu vitio iam dicto, et singulas diei partes praeteritas percurrens ab ea hora, qua surrexit, usque ad praesentem, quoties illud commiserit, et puncta totidem signet in priori linea figurae subscriptae. Quibus peractis, denuo proponat, per spatium diei reliquum diligentius se cohibere.» Haec sunt documenta S. Patris, in quibus, omisso primo puncto examinis generalis, recensentur breviter puncta reliqua quatuor istius examinis. His punctis adnectendo

adnotationem numeri circa defectus, utpote huic exercitio apprime convenientem, et in defectu singulari non difficilem pro praxi, quum id in examine generali circa defectus singulos difficillimum, imo impossibile foret. Circa noctem, tempore tertio huius exercitii, incundum est alterum examen, de quo S. Pater: «Tertium erit vespertinum tempus, in quo post coenae horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore usque ad praesens lapsis; et eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriori linea figurae sequenti similis, ad hoc praeparatae.»

Circa hoc examen duo observanda sunt. Primum est, non satis esse defectus illorumque numerum indagare, verum etiam inquirendum esse in lapsuum occasiones; neque qualecumque propositum emendationis sufficere, sed praecidendas studiose relapsuum occasiones. Inquisitionis huius fructus erit, et occasione recurrente attentiores reddere, et examinis, toties iterati, taedium levare, quando erratorum radices et remedia quaerimus, et reipsa assequimur. Secundum est, quum iuxta formam positam, petitio luminis examen praecedat, compunctio, sive dolor de culpis deprehensis examini succedat; orationem illam praecedentem, et compunctionem subsequentem, ad defectuum notitiam tantundem, atque etiam magis, conferre, quam conferat examen ipsum per se. Non haec eo dicuntur, ut negligatur, aut minoris fiat examen; sed ut perficiatur, non omissa, ut quorumdam mos est, petitione luminis, et compunctione. Nam ex hoc utroque facilius redditur examen, et lucem auget, et fructum refert uberiorem; compunctio enim oculos aperit, oratio facem accendit. Sed oratio ista poscit animum quietum, et passionibus vacuum; com-

punctio vero humilem, et de se diffidentem, ut supra diximus. Hoc utrumque animam levat supra se, ut radio divinae lucis afflata detegat, quidquid intus in corde latet; neque enim iam errata meditatur defendere, vel excusare, sed hoc agit, ut ubi illa deprehenderit, seipsam accuset. Monitum hoc est Gregorii Magni, qui quum de culparum virtutumque examinandarum necessitate sermonem instituisset, (vitiorum quidem, ne sub larva virtutis se obvelent; virtutum autem, ne in culpas degenerent,, haec subdit [1]. «Hos virtutum sensus melius preces, quam discussiones inveniunt. Nam ea, quae perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, saepe verius orando, quam investigando penetramus. Quum enim mens per quamdam compunctionis machinam ad alta sustollitur, omne quod ei de seipsa occurrerit, sub seipsa diiudicando certius contemplatur.» Haec Gregorius. Quae de hac oratione latius disseri possent, relata sunt in librum de Examine generali.

Alterum est, quod huic examini proprie et singulariter competit, conferendas inter se culpas commissas, et sibi mutuo comparandas esse; de quo S. Pater subdit tres hasce additiones: «Secunda est, ut sub noctem, numeratis comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an a priore examine usque ad secundum aliqua successerit emendatio. Tertia est, ut conferat diei secundae, atque praecedentis examina invicem, considerans ecquid sibi emendationis intervenerit. Quarta, ut collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factae vel omissae emendationis rationem habeat.» Haec non postulant declarationem, sed exequutionem; sed neque accuratior potentiorve ad finem

1 Moral. l. I, c. xvii.

intentum instructio suggeri potest, quaeque Patrum antiquorum in hac materia praeceptionibus magis quadret. Sic enim Bernardus ad monachos suos [1]: «Comparanda est dies instans diei praeteritae, ut ex illorum comparatione suum deprehendere possit, vel profectum, vel defectum.» Dorotheus sic [2]: «Debemus non solum per dies singulos nos discutere, sed per quaelibet tempora, per menses, per hebdomadas. Ac nobismetipsis dicere: Prima hebdomada huiusmodi passione affectus es, nunc autem, quomodo habes? Et ita per quaelibet diligenter inspicere, si quid a nobis abscindimus ex illis; an in eisdem volvimur, vel in deteriora delapsi sumus.» Et S. Basilius [3]: «Quae singulis diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora, et cum iis, quae feceris pridie, conferto. Studioseque operam dato, ut melior in dies magis ac magis existas.»

CAPVT VIII

DE EFFICACIA HVIVS EXAMINIS

De efficacia huius examinis, si rite instituatur secundum documenta a S. Patre praescripta, nemo potest ambigere. Missis autem fructibus, quos cum examine generali hoc particulare communes habet, propria vis eius in eo sita est, quod in vitium singulare, quod correctum volumus, toto conamine inquiramus. Qui aere alieno gravantur, neque amant satisdare, neque vitae ordinem immutare, etsi sua dilapident, sensimque ad institas reducantur; a subducendis vitae suae rationi-

1 Specul. Monach. in fine.
2 Doctr. 10 fine.
3 Serm. de Abdicat. rerum. fine.

bus vehementer abhorrent, in debitorum notitiam venire declinant, ne quae lateri adhaeret egestas, contemplandam se praebeat, et in oculos incurrat. Dumque animum a debitorum mole avertunt, divites sibi ipsis videntur, et ab aliis tales haberi gaudent, etsi non sunt; sed crescente onere, et se et creditores suos denique perdunt. Ruinae declinandae remedium unicum est, rationum libros exactos conficere, hos quotidie sibi obiicere, et, imminuendo sumptus nimios, nomina contracta paulatim expungere. Haec incuria viri spiritualis imago est, qui hoc examine destituitur. Horret conscientiam suam hoc modo discutere, propterea quod seipsum contemplari non amat, mavult defectus inobservatos esse, religiosum se reputat, quia virtutis formam quamdam exterius profitetur, quum tamen in illum cadat, quod olim in Episcopum Laodicenum [1]: «Dicis, quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus.»

Fixum igitur sit, totius emendationis nostrae basim esse notitiam erratorum. Qua enim ratione corrigetur, quod excusatur et defenditur, quod dissimulatur, quod studiose tegitur, quod ignoratur? Contra vero, quomodo ad correctionem non ardeat, qui defectus indagat, et invenit, et scribit, et diem cum die confert, hebdomaden cum hebdomade? Fierine poterit, ut non confundatur, qui Davidis instar dicere potest [2]: «Peccatum meum contra me est semper?» Eadem prorsus ratione correctioni propriae incumbendum est, qua nitimur alios ad meliora reducere. Ante omnia hoc agimus, ut culpa minime dubia sit; dein arguimus, obsecramus, incre-

1 Apoc. III, 17.
2 Psal. L.

pamus, iuxta illud Apostoli [1]: «Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.» Si quaeris, quando reprehensio adhibenda sit, respondet Apostolus, «opportune, importune.» Si quaeris, quid hoc sibi velit, respondet Chrysostomus in hunc locum: «Quid est opportune, importune? Tempestive, intempestive; hoc est, nullum habeas definitum tempus, semper tibi tempus sit; non solum in pace et quiete, neque in ecclesia tantum sedens, verum et inter ipsa pericula, sive carceri inclusus, sive catena constrictus, sive mortis lata sententia ad mortem properes; illo etiam tempore argue, neque increpare dissimules..... Si absque argumentis increpes, temerarius esse videberis, nullusque te perferet. Vbi vero praecessit probatio, tunc et increpationem facilius suscipit, alioquin impudens fiet. Quod si arguas vehementer et increpes, obsecrationemque subducas, rursus omnia perdis. Quippe reprehensio per se intolerabilis est, nisi habeat admixtam obsecrationem. Sicut et sectio, nisi plurima dolorem consolentur, non eam sustinet languidus; ita ferme et hic.» Haec omnia sunt Chrysostomi, quae quidem correctionem proximi spectant, sed revera non minus quadrant correctioni sui ipsius; tres enim huius examinis partes haec doctrina complectitur. 1. Convictionem de defectibus, quae ad oculum patet, per collationem diei cum die. 2. Reprehensionem, ut dolor et confusio excitetur. 3. Adhortationem per motiva fiduciae, ut confirmetur emendationis propositum.

Iuvat etiam hoc loco observare modum, quo Deus utitur, ut peccatorem reducat ad cor, hic enim ipse no-

1 2 Timoth. IV, 2.

bis adhibendus est erga nos. Audi, quid agat Deus [1]. «Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo et, cum adulteris portionem tuam ponebas.» Et post alia peccata relata, sic pergit: «Haec fecisti, et tacui.» Et propterea, «Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.» Vnde patet, dissimulationem moramque vindictae peccatori ansam praebere, quo minus redeat ad se, quasi Deo delicta non displiceant, quae non plectit illico; unde et fiducia oritur complacendi sibi in malo. Simili modo fraena vitiis laxat homo inferior, quando ratio, sive homo superior in culpis connivet, et quasi velum obducit, ne illas videat. Quid hic remedii, nisi hoc ipsum, quod Deus intentat: «Arguam te, et statuam contra faciem tuam.» Audiamus Augustinum in textum iam allatum. «Quum a vindicta supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, poenitentiam tuam diu expectavi: «Existimasti inique, quod ero tui similis.» Parum est, quia mala facta tua placent tibi, placere putas et mihi. Deum, quia non pateris ultorem, vis tenere participem, et tamquam corruptum iudicem, socium vis habere. «Arguam te.» Et quid tibi faciam arguendo te? Modo te non vides, faciam ut videas te. Quia si videres te, et displiceres tibi, placeres mihi. Quia vero non te videns placuisti tibi, displicebis et mihi, et tibi. Mihi quum iudicaberis, tibi quum ardebis. Quid enim tibi faciam? «Statuam te contra faciem tuam.» Iam vis latere teipsum, in dorso tuo tibi es, non te vides. Facio ut te videas; quod post dorsum posuisti, ante faciem ponam.

1 Psal. XLIX, 16.

Videbis foeditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas.» Haec Augustinus de redargutione Dei in die novissimo. Tum sic prosequitur: «Quia dicit ista, Fratres, desperandus est ille, cui dicitur? Nequaquam. Modo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuae, torqueat te timor, erumpat a te confessio, et dic Deo tuo: «Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.» Sanctus Doctor a iudicio divino argumentum deducit ad iudicium, quod a nobis ipsis, interea dum vivimus, exigendum est; et bonorum nostrorum principium docet esse cognitionem culparum, damnique ex his promanantis. Atqui haec cognitio huius examinis fructus est.

Vt finem huic capiti imponamus, notandum denique inter illa, quae circa disquisitionis huius formam iam exposita sunt, quaedam esse substantialia, et quasi animam istius examinis, illaque omnia in ipsa mente actibusque internis sita esse: talia sunt, mane proponere, sollicite cauteque diem traducere, horis fixis numerum erratorum inire, super his dolere, emendationem proponere, tempora temporibus comparare, ut de emendatione liquere possit. Haec naturam exercitii huius constituunt. Quaedam alia itidem hic praescribi, quae quidem abesse possunt, sed tamen admodum iuvant, ut examen melius instituatur, et celerius emendatio subsequatur, atque haec in actibus externis posita esse: ut apponere manum pectori quum cecidimus, defectus in libello adnotare, notatosque et meridie et vesperi conferre, et hodiernos cum hesternis etc. Ex his veluti corpus exercitio huic formamus, ut errores nostros ipsis oculis contemplari liceat, illorumque diminutionem quasi manibus palpare. Neque recens inventum hoc

est, sed iam olim ab illis usurpatum, qui ferventius profectui suo studebant. De quo Ioannes Climachus in Scala sua sic scribit [1]: «Ad cuiusdam fratris latus quum appensum cingulo brevem libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitationes suas in eo notare, hasque omnes nuntiare pastori solitum. Neque solum autem illum, sed et alios quamplures id facere ibidem prospexi; erat enim, ut comperi, Patris sancti mandatum.» Et infra: «Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. Nam quum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur.» Quisquis hac ratione defectus suos persequitur, protinus victor erit. Diligentia enim tam assidua, minimeque interpolata, tanti roboris est, ut etiam in anima vitiis pessimis atque inveteratis laborante, mutationem generet, eradicet peccata, inferatque virtutes. Imo citius delictis gravioribus subditos rebellante natura ad perfectionis apicem transfert, dummodo sedulo hoc agant, quam alios naturae benignioris, dociles, minusque malos, si languidius remissiusque sibi ipsis attendant. Verissime a Kempis [2]: «Diligens aemulator valentior erit ad proficiendum, etiamsi plures habeat passiones, quam alius bene morigeratus, minus tamen fervens ad virtutes.» Hactenus de forma, nunc de materia, super qua examen instituendum est.

1 Grad. 4. de Obed.
2 Lib. I, c. xxv, n. 4.

CAPVT IX

DE MATERIA EXAMINIS PARTICVLARIS

Campus iste longe latissimus ad areas tres reduci potest. Quarum prima est, peccatum quodlibet, aut defectus, aut aliud quod corrigi volumus. Huc pertinet, quidquid vel naturae propensiones minus rectas concernit, vel moraliter malum est, adversaturque mandatis divinis, Regulis, ordinationibus, aut legibus suae conditionis et status. S. Pater singulariter huius generis praxim docuit, quum additionibus suis quatuor titulum hunc praefixit: «Vtiles ad faciliorem et celeriorem peccati, seu vitii, cuiusvis extirpationem.» Notandum vero, duplici ratione peccatum, seu vitium, superari posse: primo quidem directe, per repressionem subtractionemque sui id repellendo, ad quod propensio, passio, aut consuetudo prava, nos ducit. Secundo indirecte, per exercitium virtutis contrariae; atque haec est altera huius examinis area, nimirum, exercitatio virtutum. Submovenda tamen prius sunt vitia, quam inserendis virtutibus incumbamus. Quemadmodum enim agricolae, et urticas, et spinas, et quidquid frugibus noxium inculta terra protulerat, ex agro prius evellunt, quam sementem bonam, succoque meliori germinibus noxiis resistentem, visceribus terrae committant; ita etiam spiritum excolenti ante omnia strages vitiis inferenda est, tum danda opera virtutibus nutriendis, quae non tantum sanctimoniae fructum progenerent, sed et excellenter modoque meliore vitiorum succretioni resistant. Vtriusque huius praxeos differentia haec est, quod prima, quae peccatis resecandis intendit, inchoantium sit; altera, proficientium et perfectorum. Inchoantes enim,

spinarum istarum impedimentis laborare solent, proinde his exterminandis ante sationem virtutum adnitendum est, iuxta illud [1]: «Nolite serere super spinas.» Quo peracto, ad virtutes convertendum examen est, ut et vitia magis magisque suffocentur, et ad praecellentis charitatis culmen spiritus disponatur.

Hinc liquet quid respondendum sit quaerentibus, quam ob causam S. Pater, ubi hoc examen pertractat, peccata sive vitia materiam eius statuat, virtutes non item. Dicendum enim, id egisse Magistrum praecellentissimum, quod is agit, qui viatorem instruit circa viam, quam tenere debet. Viae principium praeceptionibus solidis dirigit, et bene institutum tramitem industriae viatoris committit. Principium autem viae spiritualis est, cum vitiis colluctari; huc igitur oculorum aciem figere iubet sanctus Magister, de virtutibus silet, ne discipulo alicuius erroris ansam praebeat, qui fortassis inde inciperet, ubi desinendum est. Operosior est lucta cum vitiis, sectandarum virtutum studium facilius et suavius; incipientis animum id allicere posset ad ingrediendam viam, quae proficientibus et perfectis accommodatior est. Praesertim quum differentia circa formam examinis nulla sit, sive de virtutis, sive de vitii, materia instituatur; ac propterea pro virtutum genere non indigeat directore, qui pro vitiorum genere instructus est. Sicut enim in genere vitii proponendum est mane, ut a vitio isto caveamus, et deinde numerus defectuum ineundus, conferendus dies cum die, etc.; pari ratione proponendum est de virtute, subducendum quoties defuerimus huic proposito, etc.; atque adeo utrobique examen de defectu aliquo instituitur. Vel enim fit circa lapsum in vitium, vel circa infidelitatem

1 Ierem. IV, 3.

in bono proposito; liquet ergo et hinc et illinc vitium non deesse. Denique S. Pater expressissime docet, qua ratione examen hoc super exercitiis spiritualibus instituendum sit, quae campi huius area tertia est, adnotando scilicet defectus circa complementum additionum et instructionum, an ea, quae praescribuntur, suis horis et temporibus, et accuratione debita, peracta fuerint. Eadem autem in hoc tertio genere forma, quae in prioribus, tenenda est. Tria igitur examinis huius capita sunt: vitiorum expulsio, virtutum insitio, exercitationum spiritualium exacta impletio. Requirit S. Pater ut de hoc ultimo, per omnes quatuor Exercitiorum hebdomadas, examen instituatur; quod, ut infra dicetur, etiam alias quandoque faciendum est, quoniam a functionum spiritualium perfectione, et vitiorum interitus pendet, et virtutum incrementum, et totius iustitiae christianae successus.

Praeterita autem nunc quidem illa tertia examinis particularis palaestra, de luctamine cum vitiis, et acquisitione virtutum, nonnulla dicamus. Et documentum primum sit, impetendum esse vitium unicum, sectandamque virtutem unam, quod ex ipso nomine examinis huius eruitur. Vires enim divisae fortitudinem minuunt, unitae augent; et quemadmodum belli dux regno occupando intentus, non plures civitates divisis copiis, sed unam iunctis agminibus obsidione premit, qua in potestatem redacta, praesidioque vallata, secundam aggreditur; ita et huic agendum est, qui expugnandis vitiis suis sese dat. Concurrendum cum hoste unico, et cum inimico valentiore ante omnia decertandum est, ut recte docuit Abbas Serapion apud Cassianum [1]. «Ita nobis haec accipienda sunt praelia, ut

1 Collat. 5. c. 14.

unusquisque vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversus illud accipiat principale certamen; omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens, adversus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraque gemituum tela contorquens, adversus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinenter quoque orationum ad Deum fletus fundens, et impugnationis suae extinctionem ab illo specialiter ac iugiter poscens.» Id ipsum discimus ex methodo quam Deus teneri voluit, quando in terram Patribus promissam populum suum introduxit. Noluit enim, ut uno eodemque anno, sed pedetentim, e possessionibus suis hostes suos eiiceret; ut vel inde doceremur, ad quam normam vitia, hostes nostri spirituales, superanda sint. «Non eiiciam eos a facie tua uno anno,» ait Dominus [1]; «Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis. Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevaeum, et Chananaeum, et Hethaeum, antequam introeas.» Et iterum [2]: «Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.» Quid dici poterat accommodatius ad rem nostram? Scrupuli enim, et conscientiae punctiones, quae virtutum possessionem sectantibus molestiam bene multam facessere solent, quid aliud sunt, quam crabronum vesparumque exercitus, aculeatis morsibus illos crucians, quibus vitiis resistere fixum est? Quae quidem bestiolae, internam pacem eripientes, videntur peccatori bellum inferre, sed revera peccatis ipsis inferunt bellum. Vires enim inde ducunt peccata, quod dulcedine quadam bonoque apparente, ceu visco,

1 Exod. xxiii, 29.
2 Sap. xii, 8.

rationem in praeceps trahant; ubi autem animus ex conscientiae anxietate huius dulcedinis amarorem persentiscit, peccatis congenitum quidem sed inobservatum; his morsibus excruciatus animus, detestatur id quod egit, incitatur ad pugnam adversus hostes, quos amavit, quosque iam longissime amandare satagit. Verum id paulatim fit, non die uno, aut mense. Et interea augetur homo in spiritu; ut per moram istam populus Israelis numero augebatur, ita anima virtutes congregat, quae veluti praesidiarii milites vigilias agunt, et in peccatorum stationem succedunt. Vbi enim dominabatur gula, iam temperantia imperat; ubi regnabat ira, iam mansuetudo gubernat; ubi alias avaritia, iam misericordia et liberalitas; ubi luxuria, iam castitas; ubi pusillanimitas, iam fortitudo; ubi superbia, vitiis omnibus sese ingerens, iam humilitas imperium tenet. Et qua ratione sensim vitia quaelibet exsinduntur, quando vires omnes in hostem unum colligimus, eadem etiam ex parte altera succrescunt virtutes; sed, ut diximus, vitium unum et singulare impetendum est, aut virtus singularis. Addo praeterea, non solum in ruinam vitii solitarii collimandum, aut virtutis unius consectationem; sed illud ipsum vitium aut virtutem multifariam dividendum esse, secundum differentiam vel bonorum vel malorum fructuum, quos vitium virtusve illa, veluti ex totidem ramis, producit. Exemplo sit superbia. Haec in cogitationibus arrogantibus, haec in verbis iactabundis, haec in operibus fastosis dominatur. Contra vero humilitas, et operibus illam supprimit, ambiendo locum novissimum; et verbis, agnoscendo palam defectus suos; et cogitationibus, abiecte de se sentiendo, promptumque animum afferendo ad omnem depressionem. Hoc exemplum vitiis virtutibusque reliquis partiendis servire potest. Qui ergo fructum uberiorem

prensare intendit, separet hos diversos eiusdem arboris ramos; sic enim et attentio crescet, et facilius inibitur calculus erratorum, quum res fuerit magis determinata. Quoniam enim huius examinis vis et efficacia in reflexione ad defectus, atque in eorumdem supputatione et collatione, potissimum sita sunt; quidquid res illas perficit, confert pariter ad exercitii huius perfectionem.

CAPVT X

RESPONDETVR AD DVBITATIONEM CIRCA IAM DICTA

Haec lucta singularis parum secura, quin et periculosa videri possit. Quoniam enim tot vitiis incessanter et undequaque concutimur, si vires animi omnes uni debellando insumimus, videmur facile superandi a caeteris. Iudae Machabaeo sane [1] infeliciter cessit in praelio, divisisse exercitum. Dum enim cum parte copiarum alam hostium firmiorem invadit, et conterit; parte militum suorum altera ab hostibus fugata, atque ab his victoribus a tergo circumventus, et in suorum, et in suam mortem incurrit. Quis non metuat fortunam eamdem, si in unum aliquod valentiusque vitium vires totas expandat? Haec tamen difficultas in hoc certamine spirituali exercitatos non movet. Norunt enim, non sic pugnari adversus vitium unicum, quin simul omnia impetantur; et per victoriam de hoc hoste perfectam, omnes etiam eius coniuratos prosterni. Sicut virtus unica perfecte adquisita, non sine caeterarum omnium comitatu, possidetur. Atque hinc concludere licet, inter media efficacissima consequendae brevi tempore perfectionis, examen particulare locum primum mereri;

1 1 Machab. IX, 11.

quod perspicuum fit, si attendimus ad eius materiam, formam, finem, et adiumenta. Materia quidem sunt vitia, atque illud in primis, quod maioribus viribus pollet, et veluti dux aliorum est. Quum vero vitia sibi mutuo adunata sint, atque invicem iuvent ut cordis principatum teneant; quemadmodum is qui catenae annulum unicum attrahit, catenam universam movet, ita etiam, qui uni vitio implacabile bellum indicit, vitiis omnibus resistit, et cadente hoste uno, corruunt caeteri. Id quod longe verissimum est, quando vitium, quocum confligimus, princeps est reliquorum. Rem illustro exemplo. Vitium praedominans sit philargyria, sive amor nummorum. Huic veluti domino subserviunt caetera omnia; superbiae perexiguum aut nihil esse videtur, quidquid possidet, vel adquirit; iniustitia manum extendit ad rem alienam; invidia proximi lucro torquetur; ira excandescit ad obstacula foenoris proprii; idem est de vitiis aliis. Si ergo vitia omnia eapropter armata sunt, ut vitium capitale defendant; palam fit, hoc enervato, pariter concidere caetera. Qui congreditur cum monstro multipede multimanoque, sed monocephalo, non digladiabitur adversum manus aut pedes, si caput ferire possit, quo iugulato, victoriam plenam reportat. Haud aliter feriendis vitiis arduus parumque utilis labor impenditur, nisi in illorum caput ictum fatalem dirigas, qui te victorem reddet etiam caeterorum. Id regem Syriæ fecisse legimus, quum suis ediceret [1]: «Non pugnabitis contra minorem et maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.» Similiter Iudaeis contra Philistaeos belligerantibus, quum Goliatho David praecidisset caput, triumphavit de hostili exercitu universo; nam [2] «Videntes Philisthiim, quod mortuus esset for-

1 3 Reg. xxii, 31.
2 1 Reg. xvii, 51.

tissimus eorum, fugerunt.» Si igitur attendamus ad examinis huius materiam, constat usqueadeo singularem hanc cum reliqua vitiorum turma connexam esse; ut si contra vitium unicum insurgis, non sit hoc negligere alia, atque horum ictibus nos exponere, sed praeliari adversus omnia, et per hanc victoriam caetera pariter expugnare.

Quod apparet magis, si ad formam etiam reflectamus, quae est mane proponere, et per diem omnem veluti in excubiis stare, ne hosti ullus aditus detur. Sollicitudo non corruendi in hoc vitium, generaliter confert ut amoliamur vitia omnia; communis enim omnium scaturigo haec est, quod appetitui et concupiscentiis libera fraena laxemus [1]. «Post concupiscentias tuas non eas,» inquit Spiritus sanctus, «et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.» Si ergo concupiscentiae libertas vitiorum omnium radix communis est, eiusdem refraenatio vitiorum omnium correctioni subservit. Itaque, qui de vitio unico examen instituit, v. g. de aspectibus, aut verbis, serioque statuit libertatem istam domare, simul reprimit appetitum etiam in materiis aliis. Quum effraenis equus per avia fertur et devia, iniecto fraeno aut lupato, ductum regentis per omnia sequitur. Simile quiddam appetitibus cordis fieri assolet, quando huic examini animum damus; etsi enim vitii unius intuitu concupiscentiam fraenamus, una tamen docemur, etiam alibi eamdem reprimere, et generaliter divinae legis atque rationis ductui obsecundare. Quod et altero exemplo demonstratur. Sit qui inimicum habeat sibi insidiantem, et eapropter armatus incedat, ut hosti isti possit resistere; quamquam

1 Eccli. XVIII, 30.

adversarii unius intuitu arma sumpserit, nihilo tamen minus armis illis iuvabitur, si contingat illum invadi ab hoste altero. Idem prorsus evenit homini, qui mane se communit proposito firmo et voluntate seria adversus vitium aliquod, invocato etiam divino auxilio, ne vacillet. Vitium quidem singulare spectant haec omnia, sed mirabiliter tunc etiam adiuvant, si fortassis ab alterius generis vitio oppugnetur.

Id ipsum patescet magis, si finem huius examinis et adiumenta inspicimus. Finis est, victoria de vitio, puritas cordis, impletio divinae legis; adiumentum praecipuum divina gratia est, quam ieiuniis, poenitentiis, vigiliis, orationibus, gemitibusque sollicitare conamur, ut supra docebat Abbas Serapion. Si apparatu tanto ad puritatem cordis circa vitium praesignatum connitar, quis credat fore me ignavum, neque restiturum, occurrente altero vitio, quo non minus ambita puritas conspurcatur? Qui arma sumpsit, ut illius ictum arceat, qui sanguinem suum sitit; non dubitat armis iisdem uti, si alter vitae suae insidietur, quem non praeviderat. Amor vitae idem efficit in casu utroque. Qui munditiem amans constituit caute incedere, lutumque declinare, ne calceos sordidet; an se coniiciet in locum, ubi vestem commaculet? Munditiae amor, aequaliter declinat utrumque. Pari igitur ratione, quoniam vita secundum spiritum, integritas mentis, voluntatis divinae complementum, tamquam huius exercitii finis, impellunt animum ad fugandum hoc vitium singulare; fieri nequit, ut non simul impellant ad declinanda omnia, quae fini huic repugnant.

Quid vero de mediis dicendum est, fini isti subservientibus? De desideriis, orationibus, gemitibus, afflictionibus corporis, ad eumdem scopum adhibitis? Quibus tot impendiis deliberatum est, vitium unicum exter-

minare, an illi negligent in alio genere Maiestati divinae placere, imo offensam eius contemnent? Qui in curia apud regem vel administrationem aliquam vel dignitatem ambiunt, non regem solum favorabilem habere contendunt, a quo tamen unice gratiam praestolantur; sed ad apices omnes intenti sunt, quibus etiam aulicis placeant, quos norunt intentioni suae conferre aliquid posse. Hac ipsa igitur ratione divino beneplacito se conformare student in omnibus, qui adminiculante eius gratia, fixum aliquod vitium connituntur evellere, virtutemque inserere. Vnum est quod prensant, victoriam huius vitii; sed norunt ad hoc unum pertingere se non posse, si aliunde patiantur se vinci.

Restat ut doctrinam hanc, late deductam, testimonio memorati Abbatis Serapionis confirmemus; qui sermonem de vitio singulari impetendo, quem supra retulimus, his verbis prosequitur [1]: «Nec putandum, quod principaliter quis contra unicum dimicans vitium, et velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquam fiet. Impossibile namque est eum, qui, pro cordis sui emendatione, sollicitus erga impugnationem vitii cuiuslibet intentionem suae mentis armaverit, adversus caetera quoque vitia generalem quemdam horrorem, et custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa, qua absolvi desiderat, passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis praemio aliorum facit contagio vitiorum.» Hactenus ille.

1 Cassian. ibid.

CAPVT XI

DE MODO ET ORDINE SELIGENDI MATERIAM HVIVS EXAMINIS

Ordo, qui in re qualibet momenti permagni, in spiritualibus multo maximi est. Aedificanti domum ordine iusto peragenda sunt omnia; fundamenta prius aperienda scrutandaque sunt, quam parietes et tectum superstruantur. Dum in spiritu excolendo id negligitur, nihil fit. Hinc fortasse plurimi, post annorum multorum orationes, suique afflictiones, vix quidquam proficiunt. Vt ordini debito lucem aliquam demus, pono documenta sequentia.

Primum. Quum examinis nostri materia, ut diximus, triplex sit, vitia, virtutes, et exercitationes spirituales; quoties quis S. P. Ignatii Exercitiis distinetur, semotus a negotiis, neque aliud intendens quam fructum inde colligere, adhibendum est examen, ut Exercitia ista summa peragat accuratione, vel secundum directoris sui instructionem, vel, si in hoc genere versatus est, secundum leges quas ipse sibi praefigit; idque per omnem Exercitiorum cursum tenendum est, sicut adnotat S. Pater ad finem additionis decimae hebdomadae primae. Expletis Exercitiis, incipientium est assumere vitium extirpandum; aliorum, virtutem accipere quam sectentur. Praeterea, notandum est, in materiis hisce omnibus dari actus diversi generis; internos alios, qui in intellectu et voluntate consistunt; alios externos, qui priorum illorum non apparentium, quasi visibile corpus conficiunt; ut sunt verba, opera, occasiones, motus exteriores, operationes sensuum. Exempla rem dilucidabunt. In superbia dantur cogitationes fastosae, verba iactabunda, opera ambitiosa; in invidia,

cogitationes tristes de bono proximi, verba murmurantia de fortuna alterius, opera facientia ut alteri peius sit. E contrario, in humilitate, cogitationes de se demisse sentientes, et disponentes ad iniurias tolerandas, etc., verba quibus se ipsum deprimit, opera quibus sese aliis subiicit; eodem modo in vitiis et virtutibus caeteris. Itidem in exercitiis spiritualibus actus quidam sunt externi, qui veluti horum corpus efficiunt: ut reverenter se habere tempore orationis, officio divino aliisque pietatis operibus satisfacere, missae sacrificio interesse, examini et meditationi vacare ea corporis et animi dispositione, quam adhibent seduli et attenti. Actus vero interni in tribus potentiis latent, meditando studiose, ferventerque eliciendo affectus.

His suppositis, documentum secundum sit, in hisce materiis numquam ab internis actibus ordiendum esse examen. Propterea quod interni illi adeo subtiles sint, ut difficulter observentur etiam ab illis, qui in rebus spiritualibus apprime versati sunt, sitque intellectus noster adeo praeceps et levis, ut ipsemet vix animadvertat quid cogitet. Deinde saepe contingit, cogitationes motusque illos non esse voluntarios et liberos, sed praevenire libertatem; atque adeo, qui viam spiritus parum triverunt, non posse deprehendere an illis culpa subsit nec ne, quumque ad ineundum erratorum numerum devenitur, scrupulis et anxietatibus omnia plena esse. Adde etiam, difficultatem occurrere singularem in corrigendis illis defectibus, quoniam interni actus non usque adeo subduntur imperio voluntatis, ut non obrepant assidue etiam invitis; cogitamus enim identidem ea quae nolumus, atque ut conemur, non semper integrum est cogitationem dispellere. Quandoque etiam volumus, id quod nolumus, neque contrariorum affectuum lucta desinet, nisi cum vita, id quod

ipse Paulus expertus fuit [1]. Sicut autem equum recalcitrantem fraenique impacientem conscendere, non est equitis rudis et imperiti, sed illius, qui in illa arte plurimum pollet; ita actus internos perficere his committendum est, qui secum diu habitarunt, et interioris hominis motiones pridem observarunt. Incipientibus satius est applicare operam ad actus externos, qui, ut magis subiacent voluntati, ita facilius diriguntur, citiusque dignoscitur, quando, quoties, et ob quam causam, a recto declinent. Ex. gr. obedientia praecipit promptissime parere, littera imperfecta relicta, praecipit etiam interne voluntatem iudiciumque submittere. Circa hoc secundum, difficultates tantas persentiscunt, qui incipiunt, ut nesciant ipsimet, quando vel cadant, vel a lapsu se erigant. Circa primum autem, errores suos veluti manibus palpant; quumque negotium hoc externum a voluntate totum pendeat, et assequuntur defectuum numerum, et victoriam celerem sibi promittunt.

Duabus praeterea rationibus doctrina eadem confirmatur. Prima est, defectus illos exteriores scandalum parere, et virtutis aestimationem apud proximum imminuere, adeoque correctionem primam res ista postulat. Secunda, quod quamvis defectuum radix intus in anima sit, actuum horum emendatio ipsam simul radicem corrigat. Vt si ab existimatione mei ipsius inducar ad verba fastum indicantia, verborum horum suppressio cor ipsum afficit, et affectum suffocat verba talia producentem. Itemque si ad obediendum animus reluctatur, illam ipsam reluctantiam internam corrigit prompta imperii exequutio; atque adeo lucta cum defectibus externis, ad ipsos internos se extendit.

1 Rom. VII, 19.

Documentum tertium sit, inter actus externos, opera prae verbis emendationi subdenda esse. Ratio est, quia quando cogitatio, non tantum in verba, sed in ipsa etiam opera, se derivat; signum est, radicem illam valde esse firmatam, maioremque deliberationem in voluntate; adeoque remedio celeri opus esse, et ab illa quidem parte medicinam inchoando, ubi plaga gravior est. Liquet autem peccari gravius, quando opere ipso peccatur. Idque tribus de causis, ut docet S. Pater [1]: «Ob maiorem temporis decursum, ob actum intensiorem, et ob plurium denique offendiculum, seu detrimentum.» Contra vero, verborum lapsus, et celerius fit, neque deliberationem tantam postulat, neque passionem indicat adeo radicatam. Lingua enim intellectum facillime sequitur, estque instar indicis in horologio; cordis motum concomitatur lingua, et eadem fere velocitate movetur, qua cogitatio interna. Adeoque etsi satius sit corrigere verba, quam cogitationes, utpote quae rationi magis subduntur, facilior tamen incipientibus, multoque urgentior, ipsorum operum reformatio est, ob rationes iam dictas.

CAPVT XII

DOCVMENTA ALIA EODEM SPECTANTIA

Suppositis supradictis, dicendum restat, quis ordo inter vitia ipsa tenendus, et a quo defectu praelium inchoandum sit. Claritatis causa notandum, vitia posse considerari, vel secundum naturam suam, vel secundum dispositionem subiecti. Notandum etiam, quaedam esse vitia, quae spiritualia dicimus, propterea, quod instar

1 In Exam. generali.

tineae, in anima ipsa nascantur, ut vana gloria, et superbia; quaedam esse carnalia, quoniam a carne et corporis appetitu procedunt, ut gula, luxuria, etc.

Documentum igitur quartum sit: si naturam vitiorum spectemus, his qui sensualium vitiorum excessibus emancipati vixerunt, magisque peccatorum carnalium, quam spiritualium, passionibus exagitantur, a mortificatione sensualitatum, utpote periculi maioris, exordiendum esse; nihili faciendo gloriam vanam, quae labori huic se insinuare, et intentionem rectam inficere potest, dummodo inimicos potentiores, et prae caeteris magis timendos, in rationis potestatem redigant. Docet enim idem Serapion apud Cassianum, quandoque ex re nostra esse spiritualis vitii adiutorio, seu periculo eius, carnis spurcitias superare. Verba eius haec sunt [1]: «Vna re tamen cenodoxia utiliter ab incipientibus assumitur, ab his dumtaxat, qui adhuc vitiis carnalibus instigantur; ut verbi gratia, si illo tempore quo fornicationis spiritu perurgentur, mente conceperint vel sacerdotalis officii dignitatem, vel opinionem cunctorum, qua sancti et immaculati esse creduntur; et ita immundos concupiscentiae stimulos, quasi turpes atque indignos, vel existimationi suae, vel illi Ordini iudicantes, hac saltem contemplatione declinent, minori malo, id quod maius est, retundentes. Satius enim est cenodoxiae vitio quemcumque pulsari, quam incidere in fornicationis ardorem, unde reparari aut non valeat, aut vix valeat post ruinam.» Sic ille. Etsi enim vitium laudabile numquam sit, quandoque tamen utile esse potest, in quantum cohibet maius malum, et adversus lapsum quaedam affert motiva, quae apud imperfectos maioris efficaciae sunt, quam caetera omnia. Et sane

1 Collat. 5. cap. 12.

praestat vulnerari, quam occidi, si tamen in casu posito mens vulneretur, nam cura boni nominis probabilis esse potest. Fixum igitur sit, carnalibus pariter et spiritualibus noxiis laboranti, a carnalibus, utpote gravioris damni et scandali, inchoandum esse.

Documentum quintum sit, inter vitia carnalia servandum esse hunc ordinem, ut primo loco arma convertamus in gulam. Non de nihilo, sed bene meditatus, S. Pater inter regulas omnes, quas in libello suo profert, has primo loco ponit, quas de victu temperando conscripsit. Et Thomae a Kempis effatum est [1]: «Fraena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius vitabis;» et S. Basilius, vitium gulae fertilissimum vitiorum omnium seminarium esse, verissime docet [2]: «Sicut fons aquae, si in plures rivulos sit dissectus, vicina rivulis illis loca omnia herbarum viriditate convestit, et loca pubescere facit; sic vitium gulae, si per cordis tui venas se effuderit et distraxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigarit, ubi libidinum multarum in te silvam conseverit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet.» Addit, gulae deditos vocationem vitae perfectioris excutere, et ad apostasiam a religione perductos esse. Prima, inquit Cassianus [3], gulae tentatio est, «Ad refectionem ante horam statutam et legitimam festinare.» Secunda, «Expletione ventris, et quarumlibet escarum voracitate, laetari.» Tertia, «Accuratiores et delicatissimos cibos desiderare..... De prima monasterii odium gignitur, atque exinde horror et intolerantia eiusdem concrescit habitaculi, quam sine dubio mox discessio aut fuga velocissima subsequetur, etc.» Basi-

1 Lib. I, cap. XIX, n. 4.
2 De abdicat. rer. post med.
3 Collat. 5. cap. XI.

lius idem confirmat, quum sic pergit: «Multos ego animadverti saepe, qui quum alterius generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea; qui autem hoc morbo tenerentur, ut aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluvie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi umquam, qui convaluerit. Nam aut a continentiae cultorum vitae se societate penitus abruperunt, seseque capitalibus vitae huius illecebris dediderunt, aut dum inter illos occultare se studuerunt, voluptatibus addicti, diabolo stipendia meruerunt.» Haec Basilius. Primum ergo praelium ineatur cum gula, secundum cum incontinentia vitiisque carnis, tertium cum avaritia, sive philargyria, quartum cum iracundia, quintum cum tristitia, sextum cum acedia. Tantam enim inter se cognationem habent haec vitia, nexumque talem, ut dominante illo, quod ordine prius est, pullulet id quod subsequitur. A gula enim impudicitia nascitur, ab impudicitia avaritia, ab avaritia iracundia, ab iracundia tristitia, a tristitia acedia; ac propterea eadem pugnarum sit series, quae vitiorum. Minoris enim moliminis est radicem tollere, quam indiscriminatim ramos truncare, et fonte obstructo, rivuli exsiccantur.

CAPVT XIII

EXEMPLA CVIVSQVE VITII FACIENTIA AD DIVISIONEM EXAMINIS

Exposuimus ordinem horum certaminum, docuimus vitium dividendum esse in partes, et in hac divisione primas dandas esse operibus, alteras verbis, postremas cogitationibus. Superest ut divisionis congruentis exempla proponamus, et ad materiae fructuosae selectionem viam sternamus.

Exempla gvlae

1. Cibum non sumere extra tempora, neque horam anticipare, neque alio loco id agere, quam ordinario, neque quidquam delibare absque licentia. 2. Non admittere cupedias, aut aliquid singulare absque vera necessitate: abstinere a deliciis saecularium, quando sine offensione id licet; verecundari, si quidquam delibet, praecise ut gustui satisfiat. 3. Cibis communibus uti temperate, neque ad satietatem plenam; non evacuare patinam appositam, sed abstinere a particula aliqua, et illa quidem, quae appetitui magis arridet. 4. Abstinere a vino, praesertim in iuventute, nisi premat necessitas; vina pretiosa, et aquas conditas fugere, et victu pauperis acquiescere. 5. De nutrimentis sapidis insipidisve non loqui, idem est de potu. De rebus istiusmodi numquam sermocinari; quem enim in ipso pastu sapore duci non decet, turpius a pastu de materia ista disserit. 6. Ciborum delectamento, neque ante, neque in ipsa mensa, intellectum pascere; sed inter manducandum cogitationem piam versare, ut dicitur regulis «de victu recte temperando.»

Exempla lvxvriae

1. Opera inverecundiae et tenebrarum, quorum nomen ipsum auribus grave est, longissime a se relegare. 2. Tactum integrum servare, etiam erga proprium corpus; carbo enim ignitus amburit, extinctus sordidat. 3. Alterum non tangere, neque ad caput, neque ad faciem, neque ad manum, neque ad vestes; sive ioci, sive etiam amicitiae causa. Amplexus adventantium et abeuntium affectatione careat, atque oleat castitatem. 4. Vt

tactum, sic et oculos removeat a quavis imagine nuda aut indecenti, atque ubi haec occurrere posset, obtutum cohibeat. 5. Familiaritatem declinet cum altero sexu, per colloquia prolixa, per litteras, per dona, per aspectum fixum. In his omnibus legem sibi rigidam ponat, de non deserendo socio teste, de referendo ad superiorem, si necessitas illud postulet. 6. Abstineat a verbis levibus, facetis, et nugatoriis, itemque a libris materiam lascivam tractantibus. 7. Cogitationem quamlibet lubricam, veluti scintillam igneam, a se reiiciat, neque quidquam de se praesumat, gnarus stuppae instar aut pulveris esse corpus suum, susceptioni nocentis flammae valde obnoxium. Denique non acquiescat in gradu castitatis mediocri, sed ad angelicam mente et corpore enitatur.

Exempla avaritiae

Non stat luxuria absque donariis et nummis, luxuriae ergo filia est philargyria. Haec fraenanda. 1. Rescindendo quamlibet usurpationem iniustam, et omne quod illam redolet, maleque parta restituendo. 2. Ponendo metas amori lucri, etiam liciti, ut, quod monet Paulus, non incidamus «in laqueum diaboli.» 3. Si Religiosus est, nihil proprii habendo, nihil dando, nihil accipiendo, nihil commodando sine venia. 4. Removendo a se pretiosa, curiosa, singularia, et quidquid saeculum redolet. 5. Non utendo pluribus, quam praecise necessariis: et illis, quae communia sunt, et quidem in officina publica asservatis, non penes se. 6. Cavendo a cogitationibus, desideriisque inutilibus et nocivis, «quae,» teste Paulo, «mergunt homines in interitum et perditionem.»

Exempla irae

Ira est appetitus vindicandi damnum aut laesionem. Reprimitur. 1. Vindicationem nullam opere adhibendo, neque redditionem mali pro malo per voluntatem procurando, vel intendendo. 2. In praesentia laedentis abstinendo a verbis iniuriosis et pungentibus, neque attollendo vocem ex bile, neque illam supprimendo silenter ex tristitia et aversione, neque statis temporibus illius alloquium declinando; in eiusdem absentia non murmurando, sive de laesione ipsa, sive de laedente, ut iniusto, ut alieniore, ut personarum acceptore, etc. Omnibus his modis peccatur per iracundiam. 3. Non servando memoriam iniuriae acceptae, neque locum dando cogitationibus indignationem et rixas cudentibus, reiiciendo obiectiones et responsa, quae iracundus in cerebro suo fabricat.

Exempla tristitiae et acediae

Titio extinctus carbonem nigrum post se relinquit, ira sopita cordis tristitiam; tristitia autem acediam generat, sive aversionem a spiritus animique collectione; spiritus vero dissolutus, dum intra se quietem non invenit, illam extra se quaerit. Isti vitio hac ratione medendum est. 1. Conscientiam rimetur, an quieta securaque sit. An laboret peccato gravi, vel de illo dubitet. An difficultatem sentiat culpam confessario declarandi, aut illam a se removendi. An suspicionibus et timoribus tentetur, quos quia intra se concludit, simul occludit aditum lumini coelesti, cuius radius afflictam animam recrearet. Interea dum persistit in tenebris, cor opprimitur a tristitia. Quemadmodum

enim os luxatum intolerabiliter cruciat, neque lenimi-nis quidquam afferunt vel cataplasmata, vel unctiones, vel quidcumque extrinsecus applicatur; ita ex fontibus memoratis, pro gravitate morbi, tristitia vel maior vel minor progignitur, sed pertinax, et per omnia, quae foris applicantur, immedicabilis. 1. Igitur examen in-stituatur de re nulla, quae quidem conscientiam tan-git, confessarium celanda. 2. Examinet quam alte tristitia ista cor penetrarit; an apostema intulerit, an aversionem a statu induxerit, praesertim si religiosus est; an affectum erga Ordinem, superiores, Regulas, suffurata sit; an prompta voluntate obediat, an violen-te. Si ita est, periculose laborat, atque inde pessime, quod remedium fugiat. Neque enim aeger iste quid-quam adeo aversatur, quam animo solatium invenire. Nam in iis se oblectat, quae consolationem excludunt, ut sunt verba querula, rationes undique conquisitae, quibus phantasias suas confirmet. Hic particulare exa-men instituat de materiis sequentibus.

1. Familiariter amiceque cum minoribus et abiecti-oribus conversetur, neque a communi recreatione se subtrahat, neque in colloquiis tetricus sit. 2. Occludat ostium recreationibus et occupationibus saecularibus, et illa omnia arceat, quibus per viam sensuum cor ni-mis effunditur. Quamobrem non egrediatur domo ad res otiosas, aut visitationes non necessarias, etsi spe-ciem praeferant pietatis; declinet oblectamenta publica, conventusque populi, et quantum fieri potest, cubiculo suo affixus sit. Quoniam infirmus ille solitudinis oc-cupationes fastidit, sicut is, qui appetitu cibi salubris destitutus, illam excitat condimento adhibito, quod palato arrideat; ita saluberrimae solitudinis exercitia taediosa varietate condiat, iam legendo, iam scribendo, iam aliud agendo. Fugiat, ut pestem, amicitias saecu-

larium, praesertim honoratiorum; non patiatur irretiri se curandis illorum negotiis, aut proventibus, aut praetensionibus. Haec enim occupationum religiosarum, et tempus et saporem furantur; atque ut levetur harum taedium, et ne otiosa segnities in rebus illis, quae unice statum nostrum concernunt, incurrat in oculos, ad ea nos divertimus, quae professionis nostrae non sunt. 5. Non sit indagator novorum, neque sermonem instituat de fortunae favoribus, de honore, de saeculi oblectamentis; cor enim flaccidum ea facile sequitur, quae vel dicit, vel audit. 6. Abducat intellectum ab eiusmodi imaginibus; rescindat discursus inanes, qui hisce materiis intermiscentur, de gestis fortibus, successibus fortunatis, gradibus et officiis eminentibus, etc., quae non adeo vigilantium, quam dormientium, cogitata sunt. Super omnia exercitiis suis spiritualibus sese dedat, non solum ea exigendo ad amussim, sed plus aliquid temporis adiiciendo, iuxta adnotationem decimam tertiam inter viginti primas. Additiones itidem accurate observet, ut ibidem praescribitur adnotatione sexta, et impense studeat devotionem acquirere, quam divina bonitas dignabitur communicare.

Summa dictorum haec est, ut credat statum animae suae miserum et periculosum esse, ex quo, nisi sibi vim inferat, numquam emersurus sit; neque alia re nutriri magis hunc morbum, quam appetentiae concedendo. Vis vero sibi inferenda, in his duobus posita est. 1. Imminuendo et truncando occupationes externas, maxime saeculares; evagationes sensuum, egressiones e domo, conversationes vanas, et cogitationes his respondentes. 2. Attendendo ad officia spiritus interiora; non acquiescat, nisi haec sapida fiant. Neque siccitatem mentis probationi Dei adscribat, quam nullatenus ad experimentum, sed in acediae poenam patitur. Externae occu-

pationes secundum charitatem bene ordinatam susceptae, devotioni gustuique interno non officiunt, sed haec duo se mutuo iuvant, ad utriusque incrementum. Acedia vero spiritus, collectionem animi fugiens, ad diverticula sensuumque blanditias inordinate se effundit, atque illo ipso oblectamento morbum auget. Mens enim, quae sensuum deliciis pascitur, peponibus porrisque Aegypti saturata, redditur arida, nauseatque super manna coelesti. Advertendum praeterea, tristitiae cordis id esse proprium, ut terrena solatia sollicite venetur, et inventis pertinacius affigatur; proin a consolationibus vilibus et abiectis ablactandum esse infirmum hunc, quorum visco sic capi potest, ut difficillimum sit pedem retrahere. Adde, quod sicut qui ciborum corporalium nausea laborat, et ex stomachi debilitate sumptos reiicit, quo calor stomachi reliquus ad partes externas magis diffunditur, hoc peius habet; ita fastidienti cibum spiritualem longe pessime esse, si calorem mentis perexiguum per sensuum evagationes dissipet, quem diligenter fovere necesse erat.

Exempla vanae gloriae et svperbiae

Debellatis vitiis iam memoratis, certamen superest cum vana gloria et superbia. Quae vitia, tineae et gangraenae instar, in ipso homine generata, malitiae universae principium sunt, operibus etiam optimis meritum suffurantur, et virtutis virorem extinguunt. Vana gloria est, famae bonae laudisque humanae appetitus. Quoniam gloria inde nata, inanis est, ab hac inanitate vitium hoc nomen traxit. Superbia est, appetitus propriae excellentiae, qua desiderat homo ambulare in magnis et mirabilibus super se. Vitia haec alimentum sumunt undequaque, etiam a rebus contrariis. Foventur a tem-

poralibus et spiritualibus, ab actibus bonis et malis, prout illa existimationem et splendorem aliquem pariunt. Saecularis evanescit in veste pretiosa, Religiosus in vili tunica; ille in mensa opipara, hic in abstinentia et ieiuniis. Vt adeo non contingat hic, quod alibi, ubi vitii unius victoria debilitat vitium aliud inde pullulascens: nam victoria de caeteris vitiis omnibus, his duobus vitiis vires novas suppeditat; utrumque enim, ut diximus, rebus etiam sanctissimis alitur et sustentatur. Materia examinis in hoc genere ordinari potest hoc modo.

1. Non adspiret ad honorifica, neque ea ambiat. Id erat Pharisaeorum, de quibus Christus [1]: «Amant primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, et primas salutationes in foro.» Congrediendum hic erit cum occasionum exercitu ingenti, ambitio enim ubique primas appetit, in omni aetate, statu, officio et loco. 2. Non iactet talenta, quae habet; quae non habet, longe minus, hoc est, declinet occasiones venditandi se, ubi non speratur fructus alius, quam talenti notitia. Vita consonet cum dicto Bernardi: «Ama nesciri, et pro nihilo reputari.» 3. Fugiat singularia, tam in persona, quam in mensa et cubiculo. In omnibus oblivioni tradi desideret, «tamquam mortuus a corde.» 4. Communitati se accommodet, neque admittat privilegia aut exemptiones, si necessitas non requirat; necessitati vero sic obsequatur, ut tamen aliquando sese aliis aequet. 5. Neque de se, neque de rebus suis, loquatur, sed ambulet tamquam a se ipso semotus. Agat et conversetur, veluti sui oblitus, neque aliis ansam praebeat de se disserendi; primus enim vanae gloriae aditus a laude panditur, secundus ab adulatione.

1 Matth. xxiii, 6.

6. Non evanescat in cogitationibus suis, comparando se aliis, aut praeferendo. Si cogitationibus hisce indulgeat, plumae instar et spumae gracilis, attolletur in coelum. 7. Conetur aequa lance talenta sua librare, bona Deo adscribendo, sibi mala.

Ordo iam propositus, iuxta vitiorum naturam et proprietatem procedit, ac proinde consequens non est, hunc omnibus indifferenter congruere; diversa enim diversorum constitutio est, diversum tempus, occasiones diversae. Et sicut in diversis hominibus passiones dominantes diversae sunt, ita in eodem hae ipsae mutantur tempore diverso; secundum occasiones, occupationes, dispositiones, haec variantur. Ista omnia observat inimicus noster, ut animam nostram praedetur; nam, ut sapienter docet S. Pater [1]: «Solet adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, explorata prius natura et munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum et ille circuit animam, et callide inquirit, quarumnam virtutum praesidiis, moralium scilicet an theologicarum, ipsa vel munita, vel destituta sit; eaque potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus caeteris firmatam custoditamque esse praeviderit.» Haec quum ita sint, illic defensione opus est, ubi acrius impetimur; et tentatio ipsa, quam patimur, docet quod examen praecipue adhibendum sit. Claritatis maioris causa, dabitur inferius formula deligendi materiam examinis secundum regulas electionis.

1 Reg. 14 inter primas de Discret.

CAPVT XIV

DE MATERIA EXAMINIS ILLORVM, QVI NVLLO VITIO SINGVLARI AGITANTVR

Contingit, aliquos, qui perfectionis semitam vel auspicantur, vel prosequuntur, nullo vitio singulariter pulsari. Id oriri potest, vel a temperatione naturae, propterea quod sortiti sint «animam bonam;» vel a daemonis astutia, qui telis suis non utitur, ut incautos nos reddat, et dein improvidos sternat; vel etiam, quod passiones veluti ferae saturae dormiant, atque ita se habeant, quasi iam non adessent. Itaque si persentiscere velis, quae fera tibi infestior magisque timenda sit, tibi prius illam oppugnare necesse est, quam te invadat. Verum unde inchoandum examen est, quando passionem vel dormientem, vel se fraude daemonis occultantem, depressam victamque volumus, vel virtutes serere in anima, passionibus rebellibus non agitata?

Id ut recte fiat, sciendum est, quod sicut in perfectionis via diversi sunt status, incipientium, proficientium, et perfectorum, ita virtutes pro singulis illis statibus diversas esse. In quolibet ergo statu virtus illa seligenda est, quae cum caeteris ejusdem status virtutibus connexionem maiorem habet, ut quando in virtutem unam intendis, simul illae aliae accrescant. Incipientium igitur est, amori solitudinis silentiique incumbere, tamquam virtuti status huius fundamentali. Sicut enim in corporis sanatione prima medici cura est, ut infirmus loco quieto sit, et remotus a turbis valetudini nocituris, ita medicina spiritualis ante omnia exigit, ut intra cubiculum se contineat aeger, et ab impedimentis semotus, quae per sensus plurima

occurrunt. Proficientibus vero, in paupertatis et humilitatis spiritum incumbendum est; utraque enim haec virtus, suo modo, caeterarum huius status et mater et basis est. Perfecti denique, per orationem et contemplationem, animum applicent ad familiaritatem et unionem cum Deo. Observandum autem, incipientium et perfectorum nomine hic non venire illos, qui virtutis viam vel nunc primum arripiunt, vel plurimis annis triverunt; sed qui in mortificatione sui, caeterisque virtutibus, vel adhuc tenelluli, vel firmi iam solidatique sunt. Multis enim quadrat illud Apostoli [1]: «Quum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini, quae sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.» Quisque igitur se excutiat; quod si deprehendat incipientium ipsorum virtutibus se destitui, lactentibus se accenseat, et iuxta regulas sequentes examen obeat.

CAPVT XV

MATERIA EXAMINIS PARTICVLARIS PRO INCIPIENTIBVS

1. Assuescat sibi vivere in cubiculo, inde non egredi absque causa probabili, neque umquam ex taedio solitudinis et collectionis. In egressionis causam inquirat, atque unica sit maius Dei obsequium. Hoc in obedientia erga superiorem, hoc in charitate erga proximum reperiet. His causis cessantibus cellam repetat, ut centrum suum, ut morborum spiritualium infirmariam, ut officinam, in qua virtutes fabricantur, animusque ad Dei imaginem fingitur, ut «lectum floridum,» ubi

1 Haebr. v, 12.

anima deliciatur cum Deo. Prima igitur cura sit cella, primumque examen; et ut ait Bernardus [1], «Regat sanctae obedientiae regula bonam voluntatem, illa vero corpus, et doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari; quod in proficiente bonae compositionis initium est, et certum bonae spei argumentum. Impossibile est hominem fideliter in uno figere animum suum, qui non prius alicui loco perseveranter fixerit corpus suum.» Ita Bernardus.

2. Ab amore cellae ad consectationem vitae communis transeundum est, ut pro viribus per omnia fratribus nostris assimilemur. Id poenitentiis, id devotionis exercitiis singularibus anteponendum est. Surgendum ergo cum caeteris, indifferenter agendum cum omnibus, manducandum cum reliquis, neque aliud nobis quam reliquis apponatur. Oratio et recreatio instituenda cum communitate, functiones oneraque domestica subeunda sine discrimine. Hac ratione cor fit humile, voluntas, a qua omne periculum, frangitur, diriguntur ad rectum ordinem actiones, virtutibus variis anima pinguescit, homo omnibus amabilis redditur, quia omnibus aequalis.

3. Confectis illis, quae communitatis vitam contingunt, deveniendum est ad privata. Horas et momenta occupationum distributa habeat; qualem hanc oporteat distributionem esse, hic non agitur. Liquet, fructum inde pendere ingentem, ut actiones ex consideratione secundum Regulam, non fortuito fiant; sic nimirum, ut praeterita dies sit imago praesentis, praesens crastinae. Sollicitudo haec spiritum reddit quietum, temporis compendium affert, voluntati libertatem eripit, neque patitur esse effraenem. Quamquam autem id

1 Ad Fratres de Monte Dei, ante Med.

facilius factu sit illis, qui sibimet suisque temporibus imperant; nihilo tamen minus, imo fortasse magis, illud ipsum his competit, qui negotiis et occupationibus subiacent imperatis. Primi enim distributionem concipiunt secundum opera ordinaria regularem, eamdemque observant; secundi autem cedunt quidem praesignato ordini in officiis imperatis, verum his expletis ad regulae suae rotam redeunt. Id ni fiat, damnum exsurgit duplex. Primo quidem, dilabuntur momenta temporis pretiosa, quae inter hanc iniunctam, et spontaneam illam occupationem intercidunt, unde non minus lucrum referri potest, quam ex rasuris metalli pulveribusque, qui in aurificum officinis tam sollicite colliguntur. Secundo, negotiorum varietas non potest non turbare animum pluribus intentum. Vt is igitur quieti suae restituatur, apprime iuvat ad occupationes ordinarias actutum illum reducere, a quibus necessitate avulsus fuerat. Haec cura ordinis sphaeris coelestibus haud absimilis est, quorum motu uniformiter difformi universum hoc regitur; etsi enim undequaque non appareat tanta partium consonantia, omnis tamen diversitas sapientissime a primo motore determinata est.

4. Post occupationes in stata tempora distributas, ordinandi sunt etiam sensus, praesertim visus, auditus et lingua.

Qvoad ocvlos

Praecipua horum custodia sit, ubi periculum maius obiicitur. In mulierem oculos non figat, praesertim si otiosa sit, neque te observet; ita David Bersabeam conspexit, et cecidit. Declinet ea spectacula, quorum imagines admittere pronum est, evellere difficillimum. Non amet etiam palatia principum contemplari, et thesauros; vana illa sunt, atque intellectum ad haurien-

dam veritatem obscurant. Caveat, velut a veneno mortifero, a libris vanis et minus castis, et picturis obscoenis. Denique iuxta S. P. Ignatii modestiae regulam, «Oculos demissos ut plurimum teneat, nec immoderate eos elevando, nec in hanc aut illam partem circumflectendo.

Qvoad avditvm

Ad verba indecentia aures obturet, et iniuriam reputet coram se haec proferri. Musicam profanam despiciat. Rumores vanos dictaque ridicula, quoniam e re nostra non sunt, invitus accipiat. Verissime a Kempis [1]: «Si te subtraxeris ab otiosis circuitionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens et aptum, pro bonis meditationibus insistendis.... Si non exisses, nec quidquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses. Ex quo nova delectat aliquando audire, oportet te turbationem cordis tolerare.»

Qvoad lingvam

Lingua, «inquietum malum, plena veneno mortifero,» difficulter regitur, et rationi aegerrime subditur. Cura prima sit, per legem silentii continere loquelam; non interrogando, nisi premat necessitas, et interrogatis quam brevissime respondendo. Nam qui hominibus minus loquitur, uberius sermocinatur cum Deo; et cui integrum foret semper silere, vitiis longe plurimis ictu unico demeteret caput. Quoniam vero et officium quod gerimus, et charitas proximi loquelam flagitant, verbaque necessaria et utilia in superflua damnosaque non raro degenerant, de his vitiis singillatim institui poterit examen hoc modo.

1 Lib. I, cap. xx.

Non murmuret de re vel persona, neque multis neque paucis, neque in publico neque in privato; neque proximi defectum aut aliud proferat de absente, quod posset praesentis animum commovere. Non aduletur, ne praecipitet se in mendacia. Non mentiatur, vel officiose, vel iocose, vel perniciose. Non utatur verbis ambiguis, aut aequivocis, omnis enim duplicitas et fraudulentia abominabilis est. Non affigatur pertinaciter opinioni suae; hinc iniuriae, hinc rixae. Non loquatur indignanter et iracunde, quod urbanitatem laedit, et charitatem. Non utatur tono elato, quod animi non collecti indicium est. Vitet iactantiam, superbiae filiam. Non revelet secretum sibi commissum, neque rem, quae recondi postulat, etsi secretum imperatum non sit; nec existimet alterum, cui rem occultam committit, tenaciorem secreti fore, atque ipse est. Denique, pro conditione vitae, de Deo rebusque divinis sermonem instituat, atque inde messem virtutum speret ingentem.

Quoad litteras

Verborum et litterarum vitia sunt affinia, tantoque nocentiora in litteris, quanto ponderis maioris censetur scriptio, quam vox prolata, quantoque verbis volantibus durabilior est. Nihil ergo temere litteris committamus, sed servemus, quod nobis praescribitur [1]. «In litteris scribendis non solum stricte servanda erit Regula 39. Summarii, de non scribendis, nisi obtenta facultate, et litteris ei ostensis, quem superior destinaverit; verum etiam curandum erit diligenter, ne de saecularibus negotiis, aut inutilibus, aut ab eo, qui scribit, alienis, litterae quidquam contineant. Cuiusmodi

1 Ordin. general. cap. 4. § 4.

essent rumusculi, nuntii de rebus viro religioso non consentaneis, quin etiam formae quaedam scribendi, et figurae, loquutionesque saeculares et aulicam consuetudinem olentes, inania officia, et affectatae assentatiunculae, et id genus alia, quae haud parum dedecent; sed potius ita a Nostris scribatur, ut non res solum, sed ipse etiam scribendi modus, aedificationi sit.»

Qvoad regvlas modestiae

Incipientes denique ad Regulas modestiae se componere studeant, seipsos ad has, veluti ad speculum, conformantes, ut informe tollatur, moresque reducantur ad normam, quam S. Pater post tot orationes et lacrymas filiis suis praescripsit.

CAPVT XVI

materia examinis particvlaris pro proficientibvs

Proficientibus proprium est, pro materia examinis virtutem assumere; atque illam quidem, cuius magis indigent, vel quae vitio, prae aliis sibi molesto, adversatur. Quando autem ex his capitibus nulla premit necessitas, materia sit ea virtus, quae vel basis est reliquarum, vel disponit et iuvat ad aliarum insitionem. Monendum hoc loco, quod examen hoc in virtutum materia, diverso plane ordine peragendum sit, atque in materia vitiorum faciendum esse docuimus. Circa vitia enim ab operibus inchoandum est, inde ad verba, denique ad cogitata delabendo. Quoniam, ut dicebamus, efferatior passio est, quae ad opera ipsa progreditur, quam quae intra verborum et cogitationum terminos continetur, atque adeo maiori malo prius medendum est; praesertim quum discussio eorum, quae intra ani-

mam fiunt, non incipientium, sed provectorum sit, ut ibidem dictum est. Alia plane agendi ratione hic opus est. Satius enim esse existimandum est, in hac virtutum materia ab actibus internis communiter examen incipere, et exordiri certamen. Praeterquam enim quod hi proficientes supponantur prae incipientibus in cognitione internorum actuum esse versati, et hausisse lucem maiorem ad illa penetranda, quae intra se aguntur; constat actus internos ipsam vitam virtutum atque animam esse, externos autem, nisi debite referantur in Deum, esse velut corpora inanimata, et ad generandos virtutum habitus omnimodis incapaces. Quem enim fructum parit officium abiectum, si ex humilitate non fiat? Plurimos sane passim videre est, per vitam omnem vilissimis actionibus deditos, qui humilitatis virtutem numquam attingunt. Quo emolumento alterius arbitrio nos subiicimus, si parendi recta voluntas desit? Innumeri serviunt, vitamque sub alterius imperio consumunt, neque in virtute obedientiae hilum proficiunt. Ab internis ergo actibus ordiendum est, loca prima his tribuendo, a quibus, veluti radicibus, virtutum caeterarum rami protruduntur, idque hoc ordine.

De hvmilitate

In virtutis huius exercitio usu venire possunt, quae supra dedimus de superbia, vitio adversario; praeterea designentur actus convenientes numero fixo, tam ante, quam post meridiem, praestandi, iuxta materias hasce. 1. Circa sui ipsius notitiam reflectere animum, ad virtutum nostrarum penuriam, delictorum multitudinem, talentorum exiguitatem; et si quid boni in nobis sit, id non esse nostrum, sed miserentis Dei. 2. Desiderare, ut ab omnibus ille habear, qui revera sum, atque dispicientiam apud homines incurram, quam

promereor. Disponendo me interius, ad tolerandas iniurias et adversa omnia, quaecumque se offerre possunt. Vbi intellectus a prudentia dirigendus est, ne effundat se in chymaeras, et ad illa se extendat, quae vires nostras superent, et naufragio virtutes exponant. 3. Observare, in quibus alii mihi praecellunt, me illis subiiciendo, et hos interius habendo ut superiores. 4. Abiecte loqui de me, deprimendo ea, quae me contingunt, et confitendo defectus. Hic similiter prudentia opus est, ut neque loco, neque tempori, neque sinceritati quidquam desit, neque affectatio admisceatur. 5. In humanitatis officiis locum alteri primum dare, quantum vitae conditio fert, «Honore invicem praevenientes,» inquit Apostolus. Neque id in illis tantum honoribus, qui non absque fictione et vanitate signis externis fieri assolent, sed in functionibus officiisque, quae gerimus. 6. Ex eodem spiritu viliora in domo munia nonnumquam obire.

De pavpertate

Hic itidem applicari poterunt, quae supra diximus de avaritia. Praeterea, ad condictum actuum numerum exercenda haec virtus in materiis sequentibus. Examen instituat, de affectu et amore erga hanc virtutem, de desiderio illius experiundae, de rerum abstinentia illarum usibus anteferenda. Consideret, illorum, quibus utitur, nihil se possidere, quodque paratus esse debeat his privari. Eleemosynam revera esse, quidquid mensam, cubiculum, vestitumque concernit; se pauperem, cuius nihil sit proprium. De S. Francisco Borgia legimus, quum se mane indueret, vestes ut commodatas assumere consuevisse. quas restituebat vesperi, quum decumberet, et hoc ipso modo erga utensilia alia se habuisse. Numquam de defectu rei cuiusquam quera-

tur, sed contra de effectu et experientia aliqua paupertatis sibi complaceat, et viliora, quae domi sunt, anteferat melioribus. Pauperes enim et eleemosynis viventes, quales nos sumus, ut aiebat B. Aloisius, ne quidem cogitatione involant in potiora, sed cum gratiarum actione acquiescunt, si deterioribus quibuscumque donantur. Et a se, et ab usibus suis arceat superflua et pretiosa. Rei necessariae absentiam non illico tollat, sed nonnihil sufferat egestatem, ut se Christo Domino, eiusque Matri similem reddat, quibus etiam necessaria novimus defuisse.

De obedientia

Fames eius sit, nosse voluntatem divinam in omnibus; cibus, hanc exequi. Contempletur Deum identidem in persona superioris, et claudat oculos ad respectus quosvis humanos. Quidquid in se susceperit, intuitu obedientiae faciat, unique Deo in superiore se subdat. Hanc satisfactionem impetret a se ipso, ut neque intercessionibus, neque querelis, neque importunitatibus, neque tristitia, neque consiliis, neque alienationis signo aliquo, obedientiam detorqueat, fortunaeque suae sinistrae et periculosae adscribat, si a semita declinaverit, quam Deus commonstrat. Adversus imperata nihil umquam proponat, nisi oratione praemissa, cum indifferentia et sinceritate.

De observantia regvlarvm

Regulae virtutum fere omnium materiam complectuntur. Si alicuius regulae transgressionem singularem in te advertis, huic applica hoc examen. Quod perutiliter quoque institues generaliter, de voluntate nihil eorum reticendi, quae circa vota et Regulas in ratione conscientiae exponenda sunt.

CAPVT XVII

MATERIA EXAMINIS PARTICVLARIS PRO PERFECTIS

Adminiculum huius examinis ad hos ipsos extenditur, qui perfectionis statum adepti sunt, quatenus is in hac vita adquiritur. Ili materiam assumant, primo de defectibus vel internis, vel externis, secundum lucem coelitus sibi infusam; deinde super exercitiis spiritualibus stato tempore obeundis, atque illis adiiciendo tempus, quod occupationibus superest, quae obedientiae et charitati proximi impenduntur; tum de illis magis magisque perficiendis, ad hauriendam lucem semper maiorem. De collectione cordis per diem, et praesentia Dei servanda; de virtutum theologicarum actibus certo numero eliciendis, fide, spe, charitate; de recta intentione in operibus singulis renovanda; de colloquiis secundum spiritum, tum in recreatione, tum alibi, tum domi, tum foris, secundum personarum dispositionem, procurando semper ut ubique proximo prosimus. De ministeriis, secundum Institutum nostrum, sibi iniunctis, quibus proximus iuvatur dirigiturque ad Deum, quod officium viris perfectis maxime proprium est. Qua ratione haec peragat? An ea compleat, ut oportet? An se divertat ad alia, quae suae professionis non sunt, unde ministerium sibi impositum patiatur? An prompte et libenter pauperibus et rudibus se impendat? Quo zelo, aut languore? qua asperitate, aut suavitate? qua diligentia, aut remissione? qua prudentia, qua maturitate, an ex aliqua praecipitantia, aut levitate? Hos defectus sollicite indaget, et adnotet, ut per hoc examen corrigantur.

Haec exempla variarum materiarum pro statibus va-

riis proposuimus, ut pateat materiam nullibi deesse. Qua vero ratione in hac tanta sylva, seligenda sit materia singularis profectui nostro accommodatior, iam videbitur.

CAPVT XVIII

FORMVLAE MEDITATIONVM QVARVMDAM FACIENTIVM AD HOC EXAMEN

Etsi de materia examinis eligenda diffusius actum sit, neque illis difficile accidat hanc secernere, qui in hoc armorum genere quadantenus versati sunt, imperiti autem a Superiore vel Praefecto spiritus facile dirigantur; tamen ad commune utrorumque subsidium, iuvat hic apponere meditationem secundum regulas bonae electionis, ut error omnis magis removeatur.

Notandum vero, dubitationem geminam intercurrere posse. Et primo quidem ambigi potest, an hic et nunc materia vitii aut virtutis arripienda sit, quoniam sine vitiis hic a nemine vivitur. Namque ubi liquet vitium, idque crassum, cordi praedominari, extra controversiam est, hoc esse debellandum prius, quam sectandam virtutem. Deinde, posteaquam sive vitium sive virtutem designavimus, quoniam impugnandi vitii venandaeque virtutis diversa suppetunt media, dubitari potest, quodnam mihi ex pluribus mediis conducibilius sit. Dubitationi priori submovendae serviet haec meditatio.

FORMA MEDITATIONIS

AD ELECTIONEM EXAMINIS DETERMINATI

ORATIO PRAEPARATORIA DE MORE

Praelud. 1. Considerabo me in hoc ipso animae statu, cuius mihi conscius sum, stare coram Deo, cordium inspectore, sanctisque omnibus; et rescire desiderantem, utrum ex duobus divinae Maiestati gratius, atque animae meae convenientius futurum sit; an ut per examen particulare virtutem secter, an ut persequar vitium.

Praelud. 2. Postulatio gratiae, deliberationi huic accommodatae.

Punct. 1. Obiiciam mihi passiones et vitia, quibus subiacco, ex quorum numero unicum segrerare intendo ad examen particulare. De virtutibus, quas desidero consequi, agam similiter, ad finem eumdem.

Punct. 2. Considerabo tres hominum classes, quibus vitia sua innotuerunt. Primi quidem tepidi languentesque sunt; atque ut norint vitia, velintque ea subdere rationi, curationis tamen media numquam applicant. Secundi, promptos se exhibent, ut adversus aliquos quidem defectus suos arma arripiant; non tamen adversus passionem, aut inclinationem, aut consuetudinem hanc vel illam, quam tangere nolunt, quum tamen caeteris omnibus haec infestior sit, utpote idolum praecipuum, cui genua curvant. Tertii denique, serio ad profectum suum intenti, apprehendere quidlibet parati sunt, ut ad Dei gloriam salutemque suam vitium quodcumque debellent. Punctum hoc respondet meditationi S. Patris de tribus hominum classibus.

Punct. 3. Considerabo quodnam in me sit vitium,

aut quae virtus, quae potissimum examine singulari indigeat. Vt id iusta trutina ponderetur, auxiliari possunt ea, quae capitibus praecedentibus dicta sunt. 1. Si vitium offensioni scandaloque maiori obnoxium sit, unde alii inducantur in malum. 2. Si plures asseclas habeat, et vitiorum aliorum radix causaque sit. 3. Si ortum ducat ex passione vehementi et impetu, quo quasi abripimur, ac propterea lapsibus frequentatis subiicimur. 4. Si perspecto statu, in quo sum, negotiis quae pertracto, personis quibuscum conversor, propensionibus quas persentisco, proximius dispositum me comperiam, ut ex hac parte reatum incurram. 5. Si, quum sit culpa exterior magisque voluntati subiecta, facilius futurum sit huic remedium applicare; sin defectus interior est, difficilior futura sit medicina.

Simili prorsus ratione virtutes appendi possunt, ut unius fiat electio. Subducendo, quaenam vocationi meae conformior sit; quae occupationibus accommodatior; quae vitio plus medeatur, in quod relabor assidue; quae passioni magis resistat, cui saepius succumbo; quae quieti spiritus congruentior, quae amicior devotioni, etc.

Punct. 4. Pensatis his circumstantiis, appendat quod vitium virtusve praeponderet, momentique maioris sit, et materiam examinis eligat, ad quam ratio profectusque spiritualis impellit.

Punct. 5. Electionem factam Deo offerat, petatque gratiam exscindendi vitii, aut adquirendae virtutis.

Posteaquam bellum vitio singulari indictum est, dubitari etiam solet, quibus mediis potissimum victoria comparanda sit. Huc facient meditationes sequentes.

FORMA MEDITATIONIS

AD EXTIRPANDVM VITIVM PRINCIPALE, V. G. IRACVNDIAM

ORATIO PRAEPARATORIA DE MORE

Praelud. 1. Imaginari se paralytico similem, et dicere, «Domine, si vis, potes me mundare;» aut mulieri Chananaeae, et dicere, «Filia mea male a daemonio vexatur;» aut caeco, et dicere, «Iesu praeceptor, miserere nostri.»

Praelud. 2. Lumen petere ad dignoscendum remedium, quo iracundiam superemus.

Punct. 1. Considera iracundiae foeditatem. Quantum deturpet hominem, praecipue religiosum, et quidem Societatis, cui et perfectioni propriae, et aedificationi proximi incumbendum est. Quantum Deo displiceat, et domesticis, et externis. Quantum mihi aliisque damnum intulerit, et profectui virtutum detraxerit.

Punct. 2. Considera pulchritudinem mansuetudinis. Illam tibi exhibe in Christi moribus, qui ait: «Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.» Eamdem tibi repraesenta in Sanctis, quin imo in Patribus et Fratribus tibi notis.

Punct. 3. Considera quoties, et quam graviter, ita correptus fueris. Excute lapsuum radices et causas, an oriantur a natura cholerica, an a consuetudine, an a praecipitantia defectuque attentionis, an a superbia, an a pusillanimitate, an a libertate noxia proferendi quidquid venit in buccam?

Punct. 4. Considera remedia, tum a te adhibita, tum lecta, tum audita; quale est silere, suavitas in agendo, ita animo comparatum esse, ut non turberis ad verbum iniuriosum; amovere occupationem, quae

ansam praebet; alte sibi imprimere, quod iniuria patienti non noceat, sed inferenti; Christum sibi proponere, qui «quum pateretur, non comminabatur;» ferarum vitium hoc esse, non hominum, iratum enim exuere humanitatem; vocari a Basilio «momentaneam insaniam;» Deum tot iniuriis a te laesum, patienter illas tulisse.

Punct. 5. Propone tibi finem creationes ex Fundamento Exercitiorum, et praeludio ad electionem faciendam ibidem; itemque finem vocationis proprium, qui est maior gloria Dei et aedificatio proximi. Tum animo in tranquillitate et aequilibrio posito, posce iterum divinae lucis affluxum, ut cognoscas et eligas, quod ad finem praetensum congruentius sit.

Punct. 6. Perpende, seposito omni affectu, considerataque vetustate consuetudinis, et circumstantiis reliquis, quodnam medium ex recensitis efficacius videatur. Dein electionem conclude, illamque Deo offer, ab eodem recipiendam et stabiliendam, ut S. Pater praescribit.

Hic modus vitio cuilibet et habitui pravo aptari potest. Cui perficiendo iuverit adhibere doctrinam Cassiani collatione quinta, octo vitiorum principalium turpitudinem praeclare exhibentis. Auctor ipse videri potest.

FORMA

AD EXTIRPANDVM VITIVM MINVS PRINCIPALE, V. G. PROFVSIONEM IN VERBIS

ORATIO PRAEPARATORIA ET PRAELVDIA VT SVPRA

Punct. 1. ut supra. Considera quantum dedeceat Religiosum loquacitas, qui silentii fructus, quoties in vitium hoc impingat, quae lapsuum causae. An effusio animi? An exigua aestimatio Regularum?

Punct. 2. Remedia huius vitii, poenitentiam vel sibi imponere, vel a Superiore petere, ubi deliquerit. Meminisse illius: «in multiloquio non deerit peccatum.» Item illius: «si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.» Item illius: «si quis putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.» Quanti fecerint silentium viri sancti. Quanta temporis iactura, tum in garrulo, tum in audientibus. Quantum orationis impedimentum, intellectum fabulis impleri. Et reliqua, ut in meditatione priori.

Eadem ratione meditatio institui potest de defectibus aliis.

Porro ad virtutem adquirendam iter idem terendum est, considerando eius pulchritudinem, et utilitatem, exempla Christi, et Sanctorum; his opponendo turpitudinem et damna vitii contrarii, et applicando motiva electionis, ut supra.

Methodum praeterea aliam suggerit S. Pater in posteriori eligendi modo, scilicet, quid amicissimo suaderem, quid factum vellem in hora mortis, quid in iudicio extremo?

Poterit deliberatio maioris momenti extendi ad dies aliquot, uno quidem die librando rationes unius partis, altero partis contrariae, tertio utrasque inter se conferendo; et denique, iuxta praedicta, ad prudentiae trutinam, invocato divino auxilio, electionem exigendo.

CAPVT XIX

DE FINE HVIVS EXAMINIS

Finis eius est, propositorum bonorum complementum, desideriorum sanctorum efficientia, inspirationum

divinarum observantia. Si rem bene perpendimus, in exercitiis aliis spiritualibus exercemus memoriam, ut utilia subministret; intellectum, ut super his discurrat; voluntatem, ut iisdem annuat. Sed quorsum haec omnia, si cogitationes, et discursus, et affectus isti non reducuntur ad praxim? Quid emolumenti ex vinea plantata, pastinata, sepibus obvallata, frondente etiam, germinante, racemos et uvas proferente, si vindemiae tempore vinum in cellaria non recondatur? Tantumdem erit, si animae nostrae potentiae excolantur quidem, et producant quod in se est, nisi bene cogitata volitaque ad exequutionem ipsam reducantur. Exequutio autem, examinis huius officium est, sine quo passiones rebelles id agent, quod agricolae vineae apud Matthaeum, qui quum vindemia appropinquaret, servos domini sui ceciderunt, occiderunt et lapidaverunt, nihilque vineae domino reddiderunt.

Proposita vero, ex quibus fructus speratur, duplicis generis sunt. Alia concipiuntur ut defectus arceant, alia ut virtutes inserant vel perficiant. Vtrorumque efficacitas exercitii huius finis est. Tollit enim hoc examen defectus, tam morales sive culpabiles, quam naturales, qui per inclinationem aut passionem ad morales culpas inducunt, et virtutum habitus per actuum frequentationem ingenerat. Vt adeo hoc examen instrumentum universale censendum sit, quo perficitur anima, tam intus quam foris, tam in oculis Dei, quam hominum.

Hos duos fines principales consequuntur etiam alii fructus, huic exercitio valde proprii. Namque a certamine contra vitia oritur cognitio sui ipsius, quam summi faciunt, ardentissimeque appetunt, quicumque ad perfectionem feruntur. Experientia enim et praxis, quasi oculis exhibet, et veluti manu facit palpare, quae

sit differentia inter tempus, quo proponit, et quo propositum violat; quae sit diversitas inter motus illos internos, qui a liberali manu Dei miserantis induntur, atque illos, qui a corruptione naturae et infirmitate nostra procedunt. Etenim, quando orationi vacat, atque in praesentia Dei versatur, sentit intellectum sanctis cogitationibus illustrari, voluntatem piis affectibus et desideriis inflammari. Contra vero, oratione semota, alium omnino se comperit, intellectum ad res divinas tenebricosum et quodammodo caecum reddi, ebullire ex corde cogitationes vanas, otiosas, ad commoda et delicias declinantes; voluntatem etiam ad naturae depravatae concupiscentias impelli. Et sicut aqua, quum ab igne removetur, ad frigus naturale redit, ita spiritum oratione destitutum, ad languorem suum et amorem rerum creatarum reverti. Hinc fit, ut a propositis matutinis tam cito deficiamus. Qui igitur super propositis istis, illorumque violationibus, reflectit animum, persentiscit ocius, quae sit differentia inter spiritum divinum et proprium, motusquae gratiae et naturae. Seque experitur infantis similem, qui quamdiu nutricis manu fulcitur, stat erectus in pedes, et deficiente retinaculo mox in terram prolabitur, quum desint vires, ut per se consistere valeat. Quod ad ministeria cum proximo attinet, contemplatur seipsum ephebuli instar, qui negotium defert, a principe suo sibi commissum, et cuius aliae partes non sunt, quam admittere et exequi id quod mandatur. Si ephebi verba apud audientem virtutis aliquid habeant, id non ad nuntium, sed ad nuntiantem, referendum esse. Quapropter, si vel secum, vel cum proximo, fructum aliquem referat, agnoscit Dei manum, et quidquid efficit, bonorum omnium fonti adscribit. Caligat enimvero summopere in notitia sui, et lucrifecit perparum in se vel in aliis,

qui fructum, vel hinc vel inde relatum, sibi ipsi audet adscribere. Nam si fructus, quem retulit, singularis et eximius est, huius excellentia manifeste indicat suum auctorem. Neque enim perspicere non potest, hunc a nobiliore origine promanare atque ipse est, utpote qui in examine quotidiano compertum habeat, illic se efficere minus, ubi plus conaminis adhibet; atque illic titubare ut plurimum, ubi magis fidebat. Haec experientia arrogantiam nostram valde deprimit, et suffocat. Si enim de pauperie cuiusdam apprime edoctus, veste splendida et pretiosa prodeuntem hunc videas, haud aliud existimaturus es, quam vel commodatam esse vestem, vel furtivam; ita cui sua infirmitas probe nota est, si vel sibi vel proximo egregium quidquam lucrifaciat, neutiquam id sibi adscribet. Atque hic est fructus summe aestimabilis, qui ab hoc examine gignitur, quatenus defectus persequitur.

Ab altero eiusdem exercitii fine, scilicet adquisitione virtutum, similiter fructus eximii generantur. Ditescit enim, et veluti vestitu deaurato anima decoratur. Quumque ab actuum sibi propriorum multiplicatione, et mortificatione passionum vitiorumque contrariorum, virtutes proveniant, necesse est hic nasci habitus solidos. Qui dicit habitum, dicit facilitatem; qui virtutem solidam dicit, non dicit apparentem, non languidam, non colorum temperamento pictam, non fervore devotionis praesentis fultam, quae mutari facile et deficere possit; sed aeream, sed chalybeam, super incude mortificationum et victoriis de vitio contrario fabricatam. A virtutibus talibus vera salus, pax stabilis, intentionis puritas gignitur; hic enim passiones omnes arma sua abiiciunt, et imperio rationis subduntur. Quae quoniam homini ad hoc data est, ut passiones inimicas contineat, humanisque actionibus praesit; usque adeo

per vitia numquam reprimitur, ut illis se subiiciat; neque umquam sic dominantur peccata, ut ratio non obluctetur. Propterea «Non est pax impiis,» quam iusti sentiunt abundanter, qui virtutum exercitio suis locis et temporibus omnia digerunt. Hinc sapor et gustus oritur in operando, qui incredibiliter ad perseverantiam conferunt. Si cibus salubris et substantiae optimae stomacho non sapit, signum est hunc laborare humore pravo, qui gustum tollat; quo per medicinam sublato, non tantum stomachus cibum hunc recipit, sed palato mirifice placet. Virtutum exercitio idem prorsus evenit. Quae quum omni homini nutrimentum saluberrimum atque optimum sint, inchoantibus tamen, gustu animae per passiones, per vitia, per peccandi consuetudines depravato, insipidum amarumque apparet. Sed humore illo peccante per contrariorum actuum exercitium superato, quum verissimum sit naturae rationali virtutem maxime consentaneam esse, hic cibus super omnia animam recreat, et dulcescit «super mel et favum.»

Dissimulandum non est, ab hoc exercitio progerminari tentationes duas sibi mutuo adversantes, quibus si examen hoc ansam praebeat, affert etiam opem. Nam ex cognitione sui, vermis pusillanimitatis et diffidentiae progigni solet; ex virtutum vero exercitio, fidentiae et vanitatis. Atque ex hac ipsa fidentia, modo quodam ipsi patienti incognito, tanta quandoque oritur pusillanimitas et diffidentia, ut anima ab inceptis recedat, seque praeteritae suae acediae involvat. Quoniam enim vires nostras expeditio suscepta exsuperat, si his innititur anima, videbit illico, non posse se cum decem millibus resistere ei, qui cum viginti millibus venit ad se; et de victoria diffidens, rogabit ea quae pacis sunt, atque servitutem vilissimam vitiis et pas-

sionibus serviet. Vtriusque tentationis huius remedium in visceribus ipsis exercitii huius reconditur; praxis enim eius in hoc sita est, ut postquam mane proposuimus, per diem sollicite incedamus, et adnotemus, et numeremus casuum numerum, et identidem propositum innovemus. Qui attendit, et defectus computat, infirmitatis suæ conscius, casurum se praesagit, et quum ceciderit, non cadit etiam animis, neque lapsus ille diffidentiam parit; noverat enim id futurum, quando bellum exordiebatur. Qui autem propositum renovat, quando cecidit, diffidentiae non dat locum, quoniam proponit de novo; neque viribus propriis fidit, quoniam comperit cecidisse se, quum et minime vellet, et firmius proposuerat. Hinc medicinae huius mira vis patet, et prudentia medici, qui praeceptis adeo simplicibus et facillimis, successu tanto, bellum vitiis indicit, virtutesque accumulat; et fidentiam cum diffidentia docet coniungere, ut duo cordis extrema, pusillanimitas et vanitas, temperentur.

CAPVT XX

QVIBVS CONGRVAT HOC EXAMEN

Ex dictis de materia, forma, et fine huius exercitii, perspicuum fit, quibus personis usus eius conducibilis sit. Illis omnibus scilicet, qui ad profectum spiritualem adspirant, incipientibus, proficientibus et perfectis; occupationibus cum proximo involutis, et ocio pio vacantibus; capacitate maiore praeditis, et minore. Etenim, quum finis eius sit exstirpare vitia, et virtutes inserere, radicare animam in cognitione sui et diffidentia de se, ingenerare fiduciam in Deum, ad consequendam cordis puritatem pacemque sinceram, quae in appeti-

tuum subiectione, et passionum atque rationis convenientia solidatur; si hominem reperire est, cui finis iste, vel ex toto, vel ex parte, non sit necessario prosequendus, illum ab hoc examine eximas licet. Quod si nullus est talis, nullus eximendus est, qui, quadantenus saltem, profectum spiritus appetit.

Excusationes duae vel afferri, vel fingi possunt. Prima est ex parte formae. Dicent enim, indubitatum haberi, non omnia exercitia ab omnibus usurpanda esse; quibusdam enim formam esse adeo subtilem et delicatam, ut quibusdam, imo pluribus, non conveniat, id quod S. Pater «de electionum dictaminibus» expresse docet. Neque omnes, etsi capacitate non careant, dispositionibus necessariis instructos esse; propterea supersederi exercitiis contemplationis et unionis cum Deo, quae mortificationem et puritatem singularem requirunt. Quamvis haec verissima sint, ad examen tamen particulare extendi nequeunt; nam eiusmodi est hoc examen, ut ad eius intelligentiam capacitas sufficiat etiam minima, neque aliam in voluntate dispositionem postulet, quam desiderium proficiendi. Vide S. P. Ignatium Adnotationibus decima octava et decima nona.

Alter excusationis praetextus est ex parte materiae, Quidam enim, sive ex bonitate naturae, sive ex occasionum seiunctione, sive ex fervore aliquo devotionis praesentis, sive ex praeterito studio mortificationis, difficilem passionum aut tentationum impetum non persentiscunt, neque adeo hostem inveniunt, quocum congrediantur. Haec techna, damnis longe gravissimis foeta est. Novimus enim, qui in tirocinio annisque subsequentibus poterant Angelis comparari, occasionibus deinde expositi, in iram, invidiam, ambitionem, carnis illecebras, usque ad Religionis desertionem, suique in hostiles manus traditionem, praecipites

se dederunt. Quam tantae cladis causam esse dicemus, nisi praelii adversus passiones occultas neglectum? Hae enim, ut supra diximus, sese occulunt, et dissimulanter habitae, ubi adest occasio, lethaliter sauciant.

Fixum igitur sit, naturae, etiam benignissimae, nisi singulariter a gratia praeveniatur, et mortificatione sustentetur, minime fidendum esse. Namque ut Bernardus observat [1], «Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusaeus; subiugari potest, non potest exterminari.» Hoc est, in corde etiam optimo, et veluti ad virtutem facto, nidificant ferae timendae; quae licet tempore aliquo quiescant, quasi mortuae forent, vivunt tamen, et vitae argumenta praebent in occasionibus. Si felicius alteri cedant studia sua, invidiae punctiones percipias, verba quoque effundas, quibus ille minoris fieri possit; si quid abiectius, si quid minus gratum iniungitur, voluntatis repugnantiam sentias, aversionem a superiore, tamquam tibi minus benevolo. Centum alia horum similia, et deteriora, quid aliud indicant, quam passiones, nondum domitas, in pectore stabulari? Rectissime Cassianus [2]: «Quaecumque vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis, non abolita sentientur. Solitudo namque, sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, et intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare; ita eorum, qui minus emendati sunt, vitia non solum servare, verum etiam exaggerare, consuevit. Tamdiuque sibi patiens quis videtur et humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio, ad naturam pristinam mox reversurus, quum interpellaverit cuiuslibet commotionis occasio. Emergunt quippe eo confe-

1 Serm. in cant. 58.
2 De inst. Caenob. lib. 8. cap. 17.

stim vitia, quae latebant; et veluti equi effraenes certatim e suis repagulis, otio longiore nutriti, acrius in perniciem aurigae proprii, ferociusque prorumpunt. Magis enim, exercitio usuque humano cessante, efferantur in nobis vitia, nisi fuerint ante purgata; ipsamque umbram patientiae, quam possidere imaginarie, permixti fratribus, saltem pro eorum reverentia et nota publica, videbamur, desidia securitatis amittimus. Quasi vero universa virulenta serpentium genera, vel ferarum, quum in solitudine suisque cubilibus immorantur, pronuntiari possint innoxia, quia nulli noceant; hoc enim eis non affectus bonitatis, sed necessitas solitudinis confert.... Quamobrem ad perfectionis rationem non satis proderit abesse homines, in quos ira moveatur; quum, si patientia prius non fuerit adquisita, etiam erga res mutas, speciesque minutas, exerceri similiter possit iracundiae affectus.» Hactenus Cassianus. Docet igitur, et omnino verissime, punctum rei in hoc consistere, ut sollicite interius passiones supprimere studeamus. Id ni fiat, quantumvis exterius ab omni passionum molestia liberi, securitatem nobis adpromittere nullam possumus. Hoc autem efficacissime agimus ministerio huius examinis.

Erunt fortasse, qui arbitrentur passiones suas etiam intrinsecus satis mortificatas esse, ac propterea se hoc exercitio non egere. Verum obsecro ut audiant Bernardum [1]: «Quis ita ad unguem omnia a se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est semel putasse, saepe putandum est, imo si fieri possit, semper. Quia semper, quod putari oporteat,

1 Ibid.

si non dissimulas, invenies.» Haec ipsissima veritas est, ac licet vitia subiicienda falci deessent, numquid virtutes desunt, et colligendae, et nutriendae? Certe S. Pater ad sublime illud sanctitatis culmen evectus, examen hoc particulare, veluti totius perfectionis suae fidissimum comitem, et egregium adiutorem, ad usque diem mortis, numquam dimisit.

Dubitari potest de tempore, quo institui debeat. Si Constitutiones, Regulas, et libellum Exercitiorum consulimus, duo certa videntur. 1. «Examinandis bis quotidie conscientiis» vacandum nobis esse, ut praescribitur Constitut. Part. IV, cap. IV, § 3. Tempus duplicis examinis quotidiani omnino retinendum esse decrevit Congregat. IV. Can. VI, quod constanter servamus. 2. Ad examen particulare quod attinet, S. Pater expressissime docet, ut vidimus, discussionem eius et meridie et vesperi faciendam esse. Quoniam igitur duo tempora quotidie et examini generali, et particulari praestituta sunt, consultissimum videtur, duo haec examina bis quotidie simul coniungi, neque umquam omitti, etsi propter occupationes quandoque hora consueta mutanda sit.

A. M. D. G.

INDEX

Ad lectorem. . . . . pag.

LIBER PRIMVS

DE EXAMINE CONSCIENTIAE GENERALI

Capvt i. Quid senserint sancti Patres de exercitio huius examinis.. 7
Capvt ii. De forma Examinis generalis quotidiani, et de puncto eius primo, sive actione gratiarum. 15
Capvt iii. De secundo puncto examinis, sive petitione gratiae. 21
Capvt iv. De tertio puncto examinis, sive inquisitione peccatorum, et de vitio circa hoc punctum per defectum. 25
Capvt v. De vitio circa punctum tertium ab excessu. . . 33
Capvt vi. De puncto quarto examinis, et quid sit compunctio. 38
Capvt vii. De tribus impedimentis compunctionis.. . . 43
Capvt viii. De motivis compunctionis et doloris de peccatis, et de puncto quinto examinis. 54
Capvt ix. De materia examinis generalis quotidiani, deque doctrina S. P. N. circa hanc materiam. 65
Capvt x. Declaratur textus exercitiorum capite praecedenti allatus. 70
Capvt xi. De examine cogitationum. 79
Capvt xii. Quomodo distinguantur ista tria genera cogitationum ex parte materiae. 85
Capvt xiii. De alio signo ad cognoscendum istas cogitationes, et quanti referat discretionis huius scientia. . 91

Caput xiv. Quot modis mereri, et peccare possimus per cogitationes. 101
Caput xv. Quod examen quotidianum etiam fieri debeat de peccatis venialibus et imperfectionibus. 113
Caput xvi. Qui proficiunt in virtute, et qui perfecti sunt, maiore necessitate debent examinare in dies, et corrigere peccata venialia. 121
Caput xvii. Capita ad quae reduci possunt peccata venialia, ut examinentur, et in confessione detegantur. . . 135
Caput xviii. De fine examinis, sive fructibus qui inde referri debent.. 142
Caput xix. Reliqua exercitia omnia iuvari, et vires suas accipere ab examine. 149
Caput xx. Statum et profectum nostrum spiritualem quandoque examinandum esse.. 157
Caput xxi. De fructu huius examinis, quantum ad confessionem; sive examen quotidianum ad melius confitendum iuvare. 169
Caput xxii. De confessione peccatorum venialium.. . . 175

LIBER SECVNDVS

DE EXAMINE CONSCIENTIAE PARTICVLARI

Caput i. Quid sit examen particulare, eiusdemque difficultates. 189
Caput ii. Quibus ex causis oriatur tepor circa hoc examen. 196
Caput iii. De forma, sive modo huius examinis: et primo, de proposito matutino. 204
Caput iv. De proprietatibus, quas requirit bonum propositum. 217
Caput v. De duabus aliis propositi boni proprietatibus. . 222
Caput vi. De cura per diem, ut propositum matutinum exsequutioni mandetur. 226
Caput vii. De temporibus huius examinis, et quatuor illius additionibus.. 236
Caput viii. De efficacia huius examinis.. 240
Caput ix. De materia examinis particularis. 246
Caput x. Respondetur ad dubitationem circa iam dicta. . 251
Caput xi. De modo et ordine seligendi materiam huius examinis.. 256

Caput xii. Documenta alia eodem spectantia. 259
Caput xiii. Exempla cuiusque vitii facientia ad divisionem examinis. 262
Caput xiv. De materia examinis illorum, qui nullo vitio singulari agitantur. 271
Caput xv. Materia examinis particularis pro incipientibus. 272
Caput xvi. Materia examinis particularis pro proficientibus. 277
Caput xvii. Materia examinis particularis pro perfectis. . 281
Caput xviii. Formulae meditationum quarumdam facientium ad hoc examen. 282
Caput xix. De fine huius examinis. 287
Caput xx. Quibus congruat hoc examen. 292

060.304
P 181
6567
DE LA PALMA, LUDIVICUS

AUTHOR
Tractatus De Examine

TITLE
Conscientiae

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Quarte.	

6567

A. M. D. G.